21.
2

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
EXHIBENS

JURA ÆDIFICIO-RUM & ÆDIFICANDI,

Quam
ex Decreto & autoritate

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Magnifici Juris-Conſultorum in illuſtri Leucorea Ordinis
PRÆSIDE
VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. GVILIELMO LEYSERO,

J. U. D. Prof. Publ. Curiæ Provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ Aſſeſſore graviſſimo,
Mecænate ſuo devenerando,
PRO LICENTIA,
Summos in utroq; Jure honores, inſignia ac Privilegia Doctoralia, rite ac legitime capeſſendi,
Publico eruditorum examini ſubjicit

JOHANN: CHRISTOPH SCHERTZLINGK,

Qvedlinburg: Saxo.
Die Maj.
Horis ante- & pomeridianis.

WITTEBERGÆ,
Typis DANIELIS Schmatz / Academ. Typogr.
ANNO cIↃ IↃc LXXII.

12

I. J. N.

§. 1.

DE ædificiis dicturus, præmittendum puto, Vocabulum Ædes ſeu Ædificium eſſe generale, comprehendans ſub ſe omnia ſpecialia, & qvamlibet ſtructuram, dummodo fundamentum in ſolo habeat, ſive ſit ruri ſive in urbe *l. 9. ff. de incend. ruin. naufrag. l. 1. §. 8. ff. de Cloac. l. 189. ff. d. V. S. l. 18. ff. de Act. empt. l. 1. §. 8. ff. de vi & vi armata.* Et qvamvis priſci per Ædes ſolum delubra Deorum intelligerent, tamen hodie etiam ad privatorum domus translatum videmus. In vocabuli hujus derivatione DD. non conveniunt, qvidam enim ab aditu, vel adeundo, qvidam inde qvod qvaſi edito loco & in omnium conſpectu poſita ſit ejusmodi ſtructura, deducunt, alii aliunde derivant. Videatur *Calvinus in ſuo Lexico Juridico. hoc verbo.*

§ 2. Ædificia omnia ſunt aut publica aut privata. Publica ſunt iterum aut ſecularia ſeu profana, aut Eccleſiaſtica ſeu ſacra. Ædificium ſacrum eſt domus divina, ad faciendas preces, officia divina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda Deo rite dicata, qvale ædificium alias Eccleſia ſeu templum vocatur. *Alciat. ad rubr. C. de SS. Eccleſ.* Eccleſia dividitur iterum varie, alia enim dicitur Matrix, alia cathedralis, alia baptismalis, alia collegiata. Videatur *Helfric. Hunnius Colleg. Jur. Canon. diſput. 2. theſ. 1. Vallenſis ad Decretal. lib. 3. tit. 29. § 1.* ad qvem ſtudio brevitatis lectorem benevolum remitto. Solennia in Eccleſiarum exſtructione variant pro conſvetudine cujusq; loci, qvippe qvæ in qvolibet actu probe conſiderari debet, Juri enim ſcripto prævalet, *l. 32. in fin. ff. de Legibus*, nihilominus tamen certas qvasdam ſolennitates conſtitutas reperimus in *Novell. 67. c. 1. & 2. Novell. 131. c. 7. & 8. Nov. 58. per tot. c. 1. Diſtinct. 1. de conſecrat. c. placuit. 1. q. 2. c. cum olim 14. §. inſuper X. de privileg:* Notandum

tamen his, qvod ſi locus vel menſura ad ædificationem Eccleſiæ forte non ſufficeret, qvod tum Princeps vicinum cogere posſit, ut domum ſuam juſto pretio vendat, pro exſtruenda Eccleſia; Eccleſia enim privatorum utilitati prævalere debet, cum his aliter ſuccurri posſit. *arg. l. 9. C. de oper. publ. arg. l. 12. pr. ff. de religioſ. & ſumt. Surd. conſ. 62. n. 8.*

§. 3. Eccleſia ſi refectione opus habet, ejus ſumtibus refici debet, qvi damnum dedit. *Zaſ. lib. 3. Decret. tit. 48.* ſi vero vetuſtate vel caſu corruit, & proventus Eccleſiæ non ſufficiunt, vocatur ad contributionem populus, & qvilibet qvi in illa civitate degit & bona poſſidet, vel illa Eccleſia fuit uſus, etiamſi dicat, ſe ulterius ea uti nolle *Garſias. de expenſ. & meliorat. c. 19. n. 12.* Imo etiamſi alias ab omnibus oneribus & contributionibus immunis eſſet. Opus enim hocce, ut taceam urbes eo celebriores inde reddi, reſpicit communem necesſitatem, & utilitatem, in eo, qvo ſacramenta rite adminiſtrentur, & audientes ſpirituali & cœleſti cibo foveantur & paſcantur. Juris autem eſt expeditisſimi, qvod ejusmodi opus, qvod omnium utilitati inſervit, etiam ab omnibus, nulla privilegii vel dignitatis ratione habita perfici debeat, *l. 2. C. de qvibus muneribus lib. X. l. 7. l. 10. verb. ut generaL. C. de SS. Eccleſ. l. 4. C. de privileg. Domus Auguſtæ lib. XI. l. 7. C. de oper. publ. l. 1. C. de prædiis & omnibus rebus navicul lib. XI. l. 1. & 2. C. de navib. non excuſ. lib. XI.* Inde noluit etiam Princeps (à qvo tamen omnis immunitas profluit) bona ſua fiſcalia & patrimonialia ab ejusmodi collectis, qvæ pro communi utilitate & necesſitate imponuntur, exemta. *l. 3. C. de collat. fundorum fiſcal. lib. XI. l. 2. & 3. C. de privil. domus Auguſtæ lib. XI. addatur l. unic. C. ut nemini liceat in emtione.* Si itaqve ipſe Princeps confert, multò magis tenebuntur ſubditi, non enim eſt veriſimile, Principem alicui majorem immunitatem conceſsiſſe, qvam ſibi ipſi reſervavit.

§. 4. Excipitur tamen ab ejusmodi contributione forenſis, qvi etſi in illa parochiâ bona posſideat, tamen ad ejusmodi fabricam conferre non tenetur, nullum enim commodum ex illa Eccleſia percipit, niſi ſpeciale ſtatutum vel conſvetudo deſuper adſit, qvæ tamen legitime per teſtes, (qvi de actuum tam judicialium qvam extra judicialium freqventia *Weſenbec. in Paratit. ff. de Legib. n. 9. ibiq; Hahn.*

Zoëſ.

Zoëſ. eod n 75. deponere poſſunt, aut per Inſtrumenta, qvorum uſus ex antiqvo apparet) & qvidē in ſpecie de illo caſu, qvi controvertitur, probari debet *l. 34. cum gloſſ ff. de LL. Flamin. de Rubriis. conſ. 9. n. 77. lib. I. Honded Conſ. 87. n. 50. Gail lib. 2. obſ. 31. n. 15.* Notandum hic qvoq; qvod ſi forte qvis ex contractu vel ultima voluntate eſſet obligatus, ad reparationem Eccleſiæ, qvod is non teneatur ad novæ ædificationem, neq; etiam ad veteris amplificationem *Pek tract. de Eccleſ. reparat. lib. 1. c. 2. n. 1. & 2.* Sunt enim longe diverſa reparare, & de novo exſtruere vel ampliare. Illud enim ædificium reparari dicitur, cujus veſtigia adhuc adſunt, ſi vero prorſus dirutum eſt, aut ſolo æqvatum, non reſtitui, ſed innovari, vel de novo ædificari dicitur. *Schrader. de feudis p. 2. c. 3. n. 44. & ſeqq. Oldendorp. Claſſ. 3. act. 7. in defenſ. Rei. n. 6.*

§. 5. Eccleſiis rite ædificatis, inter alia privilegia competebat Jus Aſyli. eo enim convolabant omnes criminoſi & mediocriter delinqventes, nec poterant inviti vel vi per ſecularem judicem inde extrahi, propter ſummam loci religionem & reverentiam, ſed ii qvi hoc audebant, aut moliebantur, incidebant in crimen Majeſtatis læſæ, *l. 6 princ. l. 2. C. de his qvi ad Eccleſ. confug. l. 1. C. de Crimine Sacrileg. c. 3. X. de immunitat*, niſi confuga fuiſſet notorie criminoſus, nocturnus agrorum populator, aut alius atrociter delinqvens, ut virginum raptor, adulter, vel latro publicus. *d. c. 3. & c. fin. X. de immunitat. Novell. 128. c. 13.* Verum hodierno Jure & conſvetudine, conceditur Eccleſiis non amplius ejusmodi ſecuritas, ſed confuga extrahitur licite, per enim iniqvum eſſet, ſi loca illa ſancta qvæ Deus ceu delictorum ultor inhabitat, maleficis & delinqventibus defenſionem præberent. *Carpz. prax. Crimina. p. 3. qv. 110. n. 91.* & ita è templis Deo dicatis, homicidarum & latronum ſpeluncæ redderentur, maxime cum templorum numerus hodie tam ſit auctus, ut delinqventes facillime in qvoddam ſe recipere, & ita pœnas promeritas declinare poſſint, qvod ipſum tamen contra ſacras LL ſanctiones, qvippe qvæ delicta impunita nolunt, provinciarumq; qvietem, qvarum maxime intereſt, malis hominibus purgari, & contra ipſam mentem eorum qvi immunitatem Eccleſiis tribuerunt, foret, læſis etenim non delinqventibus data eſt templorum cautela. *Novell. 17. c. 7. Klock. Conſ. 10. n. 324.*

§. 6. Profana ſeu ſecularia publica ædificia ſunt varia, quæ omnia hîc recenſere nimis longum eſſet, ſufficiet de Principum habitaculis ſeu Palatiis pauca qvædam afferre. Per Palatium denotabatur olim ſolum Regis vel ſummi Imperatoris domus, verum hodie ad qvodlibet ædificium ſplendidum & pretioſum translatum eſt *Bertachinus in repert. ſuo verb. Aula & Curia.* De Palatio, ſeu Principum habitaculo notandum: 1. qvod in Principum patrimonio eſſe reputetur, & qvod à privatorum parietibus coarctari non poſſit, *l. 17. C. de oper. publ.* 2. Qvod non niſi ſummus officiorum Magiſter, aut ex Principis permiſſu illud qvis inhabitare poſſit, *l. unica C. de Palat. l. 14. C. de offic. Rect. Provinc.* 3. Inter ſanctas res referri, & ab omni violentia & injuria munitum eſſe, unde ſtricto gladio, aliqvem inde eximere, vel pulſare, capitali pœna, aut ad minimum manus abſciſione prohibitum, facto enim ejusmodi infertur Principi ferè ſumma injuria. *Carpz. prax. Criminal. p. 1. qvæſt. 40. n. 30.* 4. Qvod ſolo Principi propter ſummam, qva præfulget, eminentiam ſplendida ædificia inhabitare conveniat, inde poteſt ſubditis ſuis, qvamvis divites ſint & potentes prohibere, ne ædes ſuas nimis ſuperbe exſtruant, aut nimis muniant, hi enim ſi tam ſplendide ædificant, vel muniunt, oſtendunt animum eximendi ſeſe à jugo Principis, aut ad Principis æmulationem facere præſumuntur. Suſpecta enim Principi eſt ejusmodi magnificentia, propter dominandi libidinem hominibus qvaſi innatam *Klok. de Contribut. c. 9. n. 7.* 5 Occaſione Palatii notandum, qvod inde Palatini Comites dicantur, ideo, qvia Palatio inſerviunt, & in ejus ſcriniis militant. Hodie per Comites Palatinos plerumqve ii intelliguntur, qvibus à ſummo Imperatore facultas creandi Magiſtros, Poëtas & Notarios eſt collata, item natalibus ſpurios reſtituendi, non autem ſuccedit ejusmodi ſpurius legitimatus patri niſi expreſſis verbis & legitimis reqviſitis adhibitis hoc in legitimatione ſit dictum; ejusmodi Comiti etiam ita legitimandi poteſtas ſit data, qvare privilegii ſui copiam edere debet, *latius Gail. lib. 2. obſ 141.*

§. 7. Conſvetudine longisſima qvæ poſtea ab Electore Saxon. Augusto per Ordinationem provincialem de Anno 1555. tit. von Baufuhren / confirmata eſt, in tota fere Germania, maxime in Saxonia, (contra naturalem libertatem, qva omnes edimur, & cui nihil magis

magis contrariatur qvam ſervitus *§. Jus autem Gentium J. de J. N. G. & C. §. 1. J. de Jure perſonar. l. libertas. §. ſervitus ff. de ſtatu hominum*) receptum eſt pariter ac introductum, ut ſubditi Dominis ſuis vel etiam Nobilibus, Ihrer Obrigkeit oder Ober-Herren / ædificantibus & reparantibus ligna vel alia ad exſtruendum neceſſaria propriis ſumtibus advehere teneantur, nec poſſunt ea inſtrumenta qvæ forte in harum operarum exhibitione fregerunt, aut amiſerunt, nec præſtationem damni, qvod hoc caſu in corpore ſuo pasſi ſunt, nec etiam ſumtuum in curationem impenſorum reſtitutionem à Domino jure poſtulare, niſi hic Chriſtiana commiſeratione motus ſponte reſtituere velit, *Berlich. p. 2. Concl. 65.* Non tamen tenentur ſubditi ex hac conſtitutione terram veteratam ex dirutis ædificiis avehere, neq; lapides & lateres ad planandes & pavimentandas plateas & Cameras advehere, ſicut nec olim hæc conſtitutio ad omnia ædificia qvæ pro neceſſitate & Dominorum utilitate exſtruuntur, ſed ſolum ad ea qvæ inhabitandi cauſa eo in loco, ubi Domini antea Domicilium habuerunt, parantur, trahebatur. *Daniel Moller. lib 2. Semeſt. c. 1. Berlich. d. Concl. per tot.* Verum de moderna conſvetudine vide *Deciſ. Elect. 33.*

§. 8. Privata ædificia ſunt aut libera aut ſervitute affecta (dixi privata, raro enim evenit, ut publica ædificia privatis ſerviant, qvippe qvæ à privatis ita ſeparata eſſe debent, ut aditus ad ea undiq; pateat, *l. 9. C. de ædific. privat.*) Qvoniam autem unumqvodq; prædium natura liberum eſt, *l. cum eo. 9. ff de S. V. P. l. altius 8. ibiq; gloſſe verb. prohibetur & l. 9. C. de ſervitut.* & nunqvam ſervitus, tanqvam naturæ contrarium, præſumitur, merito is qvi ſervitutem prætendit (etiamſi in qvaſi poſſesſione ſit) eam conſtitutam vel impoſitam evidenter probare debet, *Roland. à Valla Conſ. 32. n. 22. vol. 4. & Conſil. 50. n. 28. Conſ. 98. n. 15. vol. 3. Menoch. de præſumt. lib. 3. præſumt. 98. n. 6.* (Interdum tamen certis circumſtantiis concurrentibus, & cæteris uti dicitur paribus, admittuntur præſumtiones.) Et hæc procedunt, ſive allegans ſit Actor, ſive Reus, Libertatis enim præſumtio Juris eſt, qvæ contrariam probationem in adverſarium transfert. Poteſt tamen ex Advocati imperitia aliqvando evenire, ut hac præſumtione non obſtante, ſervitutem negans libertatem probare debeat, Si nimirum advocatus non ſubſiſtit in vindicatione libertatis à futura ſervitute, qvam alter ſibi acqvirere conatur,
ſed

ſed ea adverſarium vi, clam, aut precario uti dicit, qvod Advocatis probe notandum dicit *Carpz. lib. 1. tit. 7. Reſp. 67. & 68. & in Proceſs. Jur. tit. 13. art. 1. n. 28. & ſeqq.* Probantur autem ſervitutes per illa ipſa, qvibus conſtituuntur, nempe tam per Contractus inter vivos qvam ultimas voluntates, per conſvetudinem, & per præſcriptionem, *l. 10. ff. ſi ſervit. vindic. l. 1. C. de ſervitut.*

§. 9. Ad dijudicandum qvantum tempus ad ſervitutum præſcriptionem reqviratur, diſtingvunt DD. communiter ſervitutes in tales, qvæ cauſam habent vel continuam vel diſcontinuam, & illas inter præſentes X., inter abſentes XX. annis, has vero ſolum per tempus immemoriale præſcribi docent. *Schneidew. ad §. fin. J. de ſervit. Alexander Trentacinus; lib. 1. reſolut. 1. de ſervitut.* Verum cum omnes ſervitutes ratione cauſæ, ſeu eſſentiæ ſuæ cótinuæ ſint ac perpetuæ hoc eſt, habeant naturalem conditionem ac materiam, qvæ ad ſervitutis uſum ſemper idonea eſt, qvamvis aſſidue aut qvovis tempore iis non utamur, & ſic ſubſiſtant, ut qvovis tempore duraturæ ſint, hanc diſtinctionem ſi ad Juris veritatem & trutinam revocetur nó ſubſiſtere, *tradunt pluribus Weſenbec. in Paratit. ff. ad tit. de ſervit. Meierus in Colleg. Argentor. eod. tit. n. 37. & ſeqq.* Maxime cum *l. 28. ff. de S. V. P.* ipſa in contrarium exſtet; Nos omnibus ambagibus & Jurium ſubtilitatibus miſſis, brevitatis ſtudio dicimus, Omnes ſervitutes, ſive habeant cauſam continuam vel diſcontinuam, ex generali ferè qvadam conſvetudine, maximè in Saxonia XXX. annis, anno & die (qvod tempus longiſſimi temporis præſcriptioni æqviparatur) præſcribi, *Carpz. p. 2. C. 4. def. 8.* dummodo adverſarii, vel Domini fundi ſervientis patientia & ſcientia, qvod alter per ejusmodi uſum ſibi ſervitutem acqvirere velit, accedat, *Modeſtin. Piſtor. Conſ. 7. n. 12.* In incorporalibus enim juribus habetur ſcientia & patientia pro juſto titulo, *l. fin. ff. de ſervitut. l. 1. §. fin. cum gloſſ. de S. P. R. l. 10. ff. ſi ſervit. vindicetur. l. 3. §. dare, ff. de uſufr. l. 2. C. de ſervitut.* & tolerantia, maxime ſi ea eſt diuturna, inducit conſenſum, & operatur idem qvod expreſſus conſenſus, autoritas, ſeu licentia, etiam in iis caſibus, qvibus alias à lege vel ſtatuto expreſſus reqviritur conſenſus. *Flamin. de Rubiis. Conſ. 13. n. 23. Klok. conſ. 50. n. 270. tom. 2.* Si vero hæc duo abſunt, poterit alter de clandeſtinitate & ignorantia excipere præſcriptio enim aut qvatenus negligentiæ pœna, non currit contra ignorantem, *uti latius hoc deducit Gail. lib. 2. obſ. 105. n. 6. Teſſaur.*

Deciſ.

Deciſ. pedemont. 133. Joban. Baptiſta Coſta de facti ſcientia & ignorantia. inſpect. 78. aut ex aliorum ſententia reſtitutio in integrum contra eam competit. *Berlich. Concl. 10 p. 2.* Et hoc in ſervitutum præſcriptione ſpeciale qvid eſſe, inq; eo à corporalium præſcriptione differre, tradit *poſt Colerum in C. de qvarta X. de præſcript. Carpz. lib. 1. tit. 1. Reſp. 36. n. 7.* reqviritur etiam ut alter non precario, aut familiaritatis jure utatur, ſed ut ſervitutis, & ſuo jure faciat, alias etiamſi per 100. annos ita fuiſſet uſus, tamen non acqviſiviſſet ſervitutem, propter deficientem b. f. & titulum. (qvæ duo tamen ſemper reqviruntur. *l. ult. in fine C. de præſcript. longi temp.*) & propter deficientem poſſeſſionem, vel qvaſi (ſine qva etiam præſcriptio non procedit. *l. 3. ff. de uſucap. c. fine poſſeſſ. d. R. I. in 6.*) *l. qvi jure famil. 41. ff. de acqvirend. vel amitt. poſſ. Honded. conſ. 79. n. 49. 50. vol. 1. p. 5. Carpz. p. 2. c. 4. def. 2.*

§. 10. Is itaqve qvi alteri propter ſervitutis uſum aliqvid dat aut facit, præſcribit eam nunqvam, nam non ſuo jure, ſed ex alterius permiſſione & gratia, eâ utitur, qvo caſu ei nec interdictum qvoddam, nec actio ulla competit, *l. final. ff. qvemad. ſervit. amitt. l. 1. §. 19. ff. de aqva qvotid. Carpz. p. 2. c. 4. def. 2.* Sed erit aut qvaſi locatio conductio (vere enim locari neqveunt. *l. locare ff. locati conduct.*) aut precarium *Modeſt. Piſtor. Conſ. 7. n. 15.* qvod pro lubitu revocari poteſt. *l. 11. ff. de precario*, nec ea qvæ familiaritatis amicitiæ aut pacis gratia tantum fiunt, aut civilitate vel urbanitate tolerantur, pariunt obligationem, nec præjudicium ullum. *l. 9. l. 41 ff. de acqvir. vel amitt. poſſ. Menoch. de arbitrar. jud. Caſ. 160. n. 12. cent. 2.* Sit itaqve Judex providus, & conſideret probe actuum qvalitatem & qvantitatem, qvo cognoſcere poſſit, num familiaritatis, num ſervitutis jure qvid factum ſit, & perpendat probe, num actus ſint ejusmodi, qvos qvilibet in vicini fundo facere poteſt, etiam extra ſervitutem, nec ne. Regulariter enim qvando qvis aliena re utitur, præſumitur ex familiaritate aut amicitia actus interpoſitus, & qvãdo veriſimiliter qvis alieno jure poſſidere potuit, libertatis favore nõ præſumitur animo ſervitutẽ acqvirendi poſſediſſe. *Klok. Conſ. 50. n. 251. & Conſ. 29. n. 564.* Imo qvotiescunq; ex prætenſis actibus neceſſaria alterius juris renunciatio induceretur, magis familiaritatis jure, qvam animo renunciandi toleratum judicandũ, *Gravetta Conſil. 747.*

n. 18. cum renunciatio non præſumatur, ubi alia conjectura capi poteſt. *c. ſuper hoc 5. X. de renunciat. Rauchbar. p. 1 qv. 39. n. 6.* Unde qvando vicinus aqvam de vicini puteo per tempus aliqvod hauſit, tamen ei propterea qvaſi poſſeſſio ſervitutis acqviſita non eſt, hæc enim vicinitatis ratione concedi ſolent, Et inſuper ex ejusmodi actibus, qvi mere facultatis ſunt, & gratuito conceduntur, non adqviritur jus aliqvod in futurum, neq; præſcriptio cauſatur. *Honded. Conſ. 79. n. 58. vol. 1. p. 5.* Niſi utens alium titulum cauſamve uſurpatæ poſſeſſionis oſtendere poſſit. *Roland. à Valle Conſ. 46. n. 44. vol. 3. Weſenbec. Conſ 2. n. 79. p. 1.* aut niſi temporis immemorabilis curſus & actuum freqventia adſit, tum enim ex tanti temporis uſu, & adverſarii patientia & ſcientia, familiaritatis uſus eliditur, & actus proprio jure factus dicitur. *Klok. d. conſ. 29. n. 57 & Conſ. 33. n. 9. p. 2.* & ſervitutis titulus is, qvem alter prætendit, conſtitutus creditur. *Capolla de Servitut. V. P. c. 19. n. 6. 8. Modeſt. Piſtor. Conſ. 7 n 17.*

§. 11. Ea qvæ hactenus de ſervitutum Præſcriptione diximus intelligenda ſunt de affirmativis. Negativarum enim, ut ſunt altius non tollendi, ne luminibus officiatur &c. præſcriptio incipit currere ab eo die, qvo vicino fuit facta prohibitio, & præſcribitur plene decennio à prohibitione facta præter lapſo. Per prohibitionem enim, qvamvis ſit unica, conſtituitur prohibens in qvaſi poſſeſſionem, ſine qva præſcriptio non valet. *l. 25. ff. de uſucap. Gail. lib. 2. obſ. 69. n. 14. Schneidew. §. fin. n. 6. 7. & 8. J. de ſervitut.* Diximus ſervitutem contractibus acqviri; ubi notandum. Eum tantum ſervitutem imponere poſſe, qvi ſolus plenum dominium illius prædii habet, in qvo ſervitutem conſtituere vult, *§. 3. J. de ſervitut. l. 8. juncta l. 1. ff. comm. præd. tam V. qvam R. l. 5. §. 8. & 9. ff. de novi oper nunciat.* Si enim ſolus Dominus non eſt, tum ſicuti ſolus ſervitutem acqvirere neqvit, *l. 5. ff. comm. præd. l. 19. ff. d. S. P. R. l. 4. §. 3. ff. ſi ſervitus vind.* Ita etiam reliqvis invitis, ne qvidem pro ſua parte, ſervitutem imponere poteſt, prædium enim commune ſocius deteriorare neqvit, qvamvis meliorare poſſit. *l. 2. ff. de ſervitut. l. 11. l. 34 ff. de S. R. P. l. 26. ff. de S. V. P.* Ille qvi utile dominium tantum & revocabile habet poteſt qvidem ſervitutem imponere, ſed ſolum in ſui præjudicium, & tam diu durat, qvam diu conſtituens utitur, reſoluto vero jure dantis, reſolvitur qvoq; Jus accipientis *l. ult. C. de*

rebus

rebus alienis non alienand. Exemplum eſt in Vaſallo. *text. 2. feudor. 8. §. Rei autem.* & emphiteuta *Schneidew. de ſervitut. V P. §. ideo autem n. 3. Colleg. Argentor. tit. de ſervitut. n. 8. Capolla de S. V. P. c. 24. n. 3.* & marito. *Struv. Exerc. 13. Ꝟ. 29. in fin.*

§. 12. Qvoniam nullum ædificium ſine pariete aut muro (hæc duo promiſcue ſumuntur. *l. 157. de V. S.*) eſt aut eſſe poteſt, & magna contentio ſæpisſime de eo, cujus nam ſit vel non, oritur, prius de eo dicendum, qvam de ſervitutibus ulterius agamus. Paries eſt aut proprius aut communis. In horum dijudicatione certa regula conſtitui neqvit, ſed probus & circumſpectus judex oculari inſpectione adhibita omnia probe conſiderare, & præſumtiones in hac cauſa admittere debet, ne alias iniqvo ſuo judicio alteri ſuum detrahat. Murus itaq; intermedius inter duas domos regulariter còmmunis præſumitur, niſi aliud evidenter probetur. *arg l. arbor. ff. comm. divid.* communis qvoq; præſumitur, ſi ex utriusq; vicini domo tigna à muro controverſo ſuſtinentur, & qvidem pro diviſo, vel prout eo vicini infra vel ultra dimidietatem utuntur. *Hondcd. Conſ. 80. n. 19. 20. vol. 1. p. 5.* ſic etiam præſumitur communis, qvando ille ſine vicini domo damnis deſtrui neqvit, *Honded. d. l. n. 24.* Paries itaqve ſive murus ubi communis judicatur, tum non poteſt ſocius altero invito in eo, qvidqvam facere, ſed prohiberi poteſt à ſocio. *l. 28. ff. com. divid. l. 13. l. 40. ff. d. S. V. P.* & habetur prohibentis ſocii cauſſa potior. Niſi paries ab initio ad id ſit deſtinatus, qvod faciens in eo facere vult, nam tum ſi ad uſum deſtinatum utitur, prohiberi non poteſt, qvamvis per id alteri noceatur. *arg. l. 24. §. ult. l. 26. ff. de damno infecto.* modo damnum illud non ſit nimis grave, qvod judicis arbitrio dijudicandum relinqvitur. *Capolla tract. de Servitut. c. de pariete n. 20.* Nec etiam communem parietem ſocius reficere poteſt, ſolus enim Dominus non eſt. *l. 8. ff. de S. P. V.* Niſi refectio ſit neceſſaria, nam tum poteſt parietem non ſolum altero invito reparare, ſed etiam ſumtus in reparationem impenſos actione pro ſocio, aut communi dividundo repetere, *l 52 §. 10. ff. pro ſocio l. 12. ff. comm. divid.* qvos ſi alter intra qvatuor menſes non reſtituit, addicitur res reficienti in ſolidum. *l. ſi ut proponis C. de ædific. privat. l. ſi ædibus de damno infecto.* & hoc caſu tranſit dominium rei reparatæ ipſo jure in reficientem. *Capoll. tract. cautel. cautel. 85.*

B 2 *Klok.*

Klok. de Contribution. c. 9. n. 101. Teſſaur. deciſ. 41. per tot. Thoming. Deciſ. 49. n. 2. Eſt tamen in reficientis arbitrio, num ſumtus velit repetere, num vero rem ipſam. *dicta lege 52. §. 10. pro ſocio Berlicb. Deciſ. 194. n. 3. 4. & 10.* Hæc omnia tamen non procedunt, ſi alter animo ſibi habendi, aut proprio nomine ædificet, *l. 5. C. de ædificiis privat.* tradit proinde Teſſaurus pro ſingulari cautela, ut ſocius ſocium judicialiter ad contribuendum compellat, aut ut proteſtetur ſe animo repetendi ſumtus facere.

§. 13. E contrario (qvorum eadem eſt ratio, & uno eorum cognito cognoſcitur qvoq; alterum) ille murus ejus proprius dicitur, qvi ſolus tigna in eum immiſſa poſſidet, vel ex cujus latere alia vacua penetrantia ultra medietatem adſunt, ſimiliter ejus qvi feneſtram totum murum penetrantem poſſidet, præſumitur murus, modo feneſtra ſit antiqva, & eodem tempore cum pariete facta, ita etiam præſumitur qvod paries ejus ſit, ad qvem extremitates ſpectant, *Menocb. de arbitr. Jud. c. 73. n. 9. & Conſil. 1101. n. 5.* ita etiam reputatur paries contentioſus, parieti non contentioſo inhærens, ejus cujus non contentioſus eſt. *Gilbauſen arbor. Judiciar. p. 7. c. 6. §. 75.* Et qvamvis ex hiſce & ſimilibus paries ejus judicetur, ex cujus latere ejusmodi ſigna adſunt, tamen fieri poteſt, ut aliis circumſtantiis concurrentibus, & rei veritate (qvæ qvocunq; tempore illuſtrata præſumtioni & opinioni prævalere debet, *c. fruſtra. 7. diſt. 8.*) melius inſpecta, paries vel communis, vel adverſarii judicetur. Unde in hiſce dijudicandis, ocularis inſpectio, & omnium circumſtantiarum & ſignorum exacta conſideratio adhibeatur eſt neceſſe.

§. 14. Si itaq; conſtat parietem alterius proprium eſſe, tunc prohibemur Domino invito qvidqvam in eo facere, niſi ſervitus nobis in eo competat, qvæ ratione parietis duplex eſt, una tigni immittendi, altera oneris ferendi. Hæc inde dicitur, qvia vicini paries alterius domus onus ferre debet, & hujus natura eſt hæc. Qvod ſcil. Dominus parietem, ſi forte collabatur, propriis ſumtibus reficere, vel de novo exſtruere teneatur. Paries enim perpetuo ibi eſſe debet, qvamvis in æternum durare non poſſit, *text. in l. cum debere. 33. ff. de S. V. P. addatur. l. 6. §. 7. ff. ſi ſervitus vindicetur.* fultura tamen domus dominantis ad Dominum ejus ſpectat, usqve dum paries ſerviens reficiatur. *l. 8. princ. ff. ſi ſervitus vindicitur.* non-

autem

autem ad ſervientem, nam ſervitus, ceu res odioſa potius reſtringi debet, qvam extendi. Et in hoc differt ſervitus hæc ab aliis omnibus, tanqvam qvæ ſolummodo ad patiendum, non autem ad faciendum competunt. Non obſtat hic *lex. 14 C. de contrahend. emt.* ubi dicitur, qvod gravis injuria ſit, qvæ inani honeſtatis colore velatur, ut qvis invitus de rebus ſuis qvid facere cogatur, nec etiam obſtat. *l. 2. ff ſi à parente. l. 21 C. mandati*, ubi dicitur, qvod iniqviſſimum ſit ingenuis hominibus liberam rerum ſuarum adminiſtrationem non relinqvi. Hæc enim omnia per ſervitutis jus conſtitutum limitantur, & tum procedunt, ſi ſervitus impoſita non eſt, aut aliter conventum, à conventione enim & pactis recedere nefas eſt, *l. 1. ff. de pact.* cum humanæ fidei nihil magis conveniat, qvam placita ſervare. Et ubi ſervitus hæc ſemel eſt conſtituta, manet ſemper firma, nec amittitur ſi ædificium dominans forte collabatur, nec intra tempus, qvo ſervitus non utendo deperire ſolet reparetur. *L. 6. de S. P. V.* Refectio enim actus eſt meræ voluntatis & facultatis, qvi præſcriptioni non ſubjacet, ſed prædium dominans ſemper in ſervitutis poſſeſſione, vel qvaſi manſiſſe præſumitur, unde repoſito ædificio, reviviſcit etiam ſervitus *Meierus in Colleg. Argentor. tit. qvemad. ſervit. amitt. n. 22.*

§. 15. Illa tigni immittendi ſervitus eſt & dicitur ea, qvando vicini parieti trabes ex meo ædificio ſuſtentationis ergo immittuntur, dicitur Germanis Tramrecht. Et intelligitur per tignum omnis materia, ad ædificiorum exſtructionem apta, qva ædes contignatur. Lapides, calx, arena & tegulæ trabes *§. cum in ſuo ſolo J. de rerum diviſ. l. 7. princ. ff. ad exhibend. l. 1. §. 1. de tigno juncto. l. 7. §. 10. de acqvir. rerum dom. l. tigni & V. S. l. 23. ult. & pen. ff. de R. V. Zoëſ. ad ff. tit. de ſervitut. n. 2. Struv. Exerc. 13. Th. 10. Capoll. de S. V. P. c. 30. n. 1.* Hujus ſervitutis natura non eſt eadem qvæ prioris, ſed hic ſolummodo tenetur tignum ſuſcipere, non vero parietem collapſum invitus reficere. *l. 8. §. ſi ſervit. vind.* Nec poteſt Dominus dominans tigna augere, nec nova immittere, ſed ſicuti ſervitus antea fuit, ita eam retinere poteſt, *l. 14. ff eod.* nam ſervitus tanqvam res odioſa & naturali libertati contraria reſtringi potius debet, qvam extendi. *arg. l. qvod vero ff. de LL. c. qvæ à jure de R. I. in 6.* Si vero qvis tignum, citra ejus ſervitutis conſtitutum, vult

immittere, poteſt non ſolùm à Domino parietis prohiberi, ſed etiam immiſſum propria autoritate eximi, non obſtante dicterio illo, qvod nemo ſibiipſi jus dicere posſit vel debeat, fallit enim in hoc & in ſimilibus caſibus *Schneidew. ad §. prædiorum. n. 5. & 6. J. de Servitut. R. & V. P.* Num ſocius in communem parietem tignum immittere posſit, decidi poteſt ex ſuperioribus, ſi enim ad utriusq; domus ſuſtentationem eſt deſtinatus, poteſt immittere, nam utitur tum ad uſum deſtinatum. *l. ſi ædis ff. comm. divid.* ſecus ſi eo non ſit deſtinatus, aut ad oneris ſuſtentationem minus aptus vel habilis. *l. 35. ff. de damno infect.*

§. 16. Seqvuntur aliæ duæ ſervitutes, qvarum una affirmativa, nempe Altius tollendi, altera negativa, altius Non tollendi. Qvoad hanc ſciendum, Qvod regulariter prohiberi non posſimus, ne domus noſtras altius tollamus, etiamſi vicinus damnum inde ſentiat, *l. 12. §. 22. C. de ædific. privat. l. altius C. de ſervitut. & aqval. proculus ff. de damno infect.* Eſt enim ædificiorum exſtructio juris gentium *l. ex hoc Jure ff. de J. & J.* & ſicuti cœlum liberum eſt, ita qvoqve reputatur ſolum liberum, *l. 1. ff. d. S. V. P.* Qvapropter ædificia ad cœlum usqve, qvandocunqve libuerit tollere poſſumus, (ex naturalis libertatis fructu, qva pro lubitu cuiqve de rebus ſuis diſponendi facultas relinqvitur,) etiamſi in area per mille millia annorum ædificiũ aut plane nullum, aut depreſſum extitiſſet, actus enim ædificandi eſt meræ voluntatis & facultatis, qvi nunqvam præſcribi poteſt, niſi exſtruens ad alterius prohibitionem ab opere faciendo deſtitiſſet, nec intra longum tempus (qvod eſt de Jure Civili 10. vel 20. annorum. *l. 12. C. de præſcription. longi temp.* de Jure vero Saxon. XXX. annis anno & die circumſcribitur) opus iſtud perfeciſſet, nam tum intra illud tempus, à die prohibitionis computando, hujusmodi ſervitus eſt plene præſcripta. *Modeſt. Piſt. Conſ. 13. n. 6 p. 2.* ita ut altera pars ædificium vicino invito altius tollere nõ posſit. Jus n. illud quod ſibi ſemel qvæſivit, ſine facto ſuo ipſi auferri neqvit, & alter imputabit ſibi ipſi, qvod ad alterius prohibitionem tamdiu acqvievit, Jura enim vigilantibus non dormientibus ſcripta ſunt. Non poſſum etiam ædificium altius tollere, ſi animo nocendi vel vexandi facere velim, hujusmodi enim malitiæ non indulgendum, cum leges iniqvisſimum judicent hominem homini lupum eſſe, *l. 3.*

ff. d. 3.

ff.d.3. J.& Jure, & humana ſocietas abhorreat, ſi homo homini nocumento eſſe velit, Et qvamvis hac ſervitute conſtituta, domum extollere neqveam, tamen arborem eum in locum plantare non prohibeor, qvæ vicini luminibus obſit, modo ſervitutem ne luminibus officiatur, non debeam, ſunt enim diverſa, altius tollere, & luminibus non officere, *l. qvod autem ff. d. S.V.P.* E contrario, cum non ſolũ urbes ex ædificiis ſplẽdire elatis celebres fiant, *l.11. §.10. ff de nov. op. nunciat. l.6. C de ædif priv. l.2. §.17. l.ult. ff qvid in loco publ.* ſed etiã vicini, maxime vero Mercatores qvibus umbra gratiſſima in tabernis eſſe ſolet, multas variasq; commoditates inde percipiant, *Schneidew. d. S.V.P. n.15.16 & ſeqq.* Ideoq; ſi inter vicinos ita conventum, ut ſervitus altius tollendi conſtituta ſit, merito alter hocce Jure ædificium extollere debet. Diſputant qvidem DD. rationibus non contemnendis, num jus hocce ſervitus dici poſſit, verum cum ipſe Imperator *in l.2. d. S.V.P. l.2. de S.P.R. & l.7. Commun. præd.* ſervitutem eſſe dixit, merito etiam illud nos ita nominabimus. *addatur Carpz. p.2. C.41. def.13.*

§. 17. Cum ſervitute altius non tollendi plerumq; conjuncta eſt ſervitus Ne luminibns officiatur, differunt tamen inter ſe formæ ratione & fine. Lumen (vocabulum lumen hic ita accipitur, qvando qvis in camera vel conclavi cœlum, etſi caput non efferat, aut extra feneſtram mittat videre poteſt, *l.16. de S.V.P.*) aufertur nobis non ſolummodo ædificia efferendo, ſed etiam deprimendo. *Capoll. tract. d. S.V.P. c.36 n 8. Struv. in Syntag. Jur. Civil. Exerc. 15. Θ. 15.* & arborem eum in locum, ubi lumen expetimus, plantendo. *l.15. l.16.17. d.S.V.P.* hanc enim latitudine ſua omnia opacare, docet experientia. Ratione finis vero differunt hæ ſervitutes, illa enim ſcil. non tollendi, competit ad qvævis commoda, qvæ ex depreſſo ædificio ſentire poſſumus, hæc vero, ne luminibus officiatur tantùm ad id competit, ne lumina obſcurentur, aut minuantur, reliqva vero omnia ædificando facere poſſumus, modo lumen relinqvatur. Servitus hæc ſi eſt ſimpliciter conſtituta, trahitur qvoqve ad futura lumina, ſecus ſi cum præſenti temporis expreſſione promittatur, veluti lumina prout nunc ſunt, ita habeto, vel ſunto, tum enim ſi plures exſtruuntur feneſtræ, illas novas obſcurare poteſt, cum de his nihil actum ſit, *l.22. cum gloſſ. l.23. ff. de S.V.P.*

§.18. Ser-

§. 18. Servitus luminum, quæ parum à præcedenti differt, dicitur, qvando vicinus lumen in pariete ſuo excipere, & nobis præſtare debet. *l. luminũ §. 4. ff. de S. V. P.* Is itaqve qvi hanc ſervitutem debet, non prohibetur altius ædificia tollere, modo foramen ſeu feneſtrem apertam in ſuo pariete relinqvat, per qvod lumen ad ædes alterius pervenire poſſit, qvo aliqvantulum lucidiores reddantur. Et in hoc a præcedenti differt, illa enim ad plus, hac vero ad minus qvis eſt obligatus, & is cui hæc ſervitus debetur, poteſt parietem aperire, & feneſtram alterius aream verſus facere, per qvam, ceu inſtrumentum, lumen recipere poſſit. Huic accedit proximè ſervitus ne proſpectui officiatur, qvæ itidem plus in ſe continet, qvam ne luminibus hac enim nihil fieri poteſt, qvo aſpectus minus gratus aut liber reddatur *l. 15. d. S. V. P.* Servitus hac eſt prædialis, inde etiam ad qvemvis poſeſſorem, ſive hereditario, ſive ſingulari titulo acqviratur, tranſit. *Carpz. p. 2. C. 41. def. 4.*

§. 19. Juris eſt expediſſimi unum qvemq; in ſuo pariete tot feneſtras, qvotqvot velit, facere poſſe, etiamſi paries per 100. annos ſine feneſtra ſteriſſe, & etiamſi inde in vicini areã, & ejꝰ ſecreta videre poſſit, *l. 12. §. 2. verb. ei qvi hoc C. de ædific. privat. arg l. 24. §. ult. & l. 26 ff damni infect.* Propter naturalem libertatem qva qvilibet ſuarum rerum moderator eſt & arbiter. *l. in re mandam C. mandati Cothman. Reſpon. 93. n. 62. vol. 1. Carpz. ad conſtit. Elect. p. 2. c 41. def. 12.* Fallit tamen regula hæc, qvando qvis ex ejusmodi feneſtris nihil utilitatis percipit, ſed animo æmulendi aut ex invidia, & ſolum modo eò, qvo vicini ſecreta videre poſſit faceret Judex itaq; omnia probe conſiderabit, & ubi nihil utilitatis commodive ſenſerit, prohibebit ne faciat, aut jubebit ut factas iterum tollat, & parietem integrum reſtituat. Nam illi malitiæ, qva parietem aperturus ſibi non prodeſt, alteri vero nocet, non eſt indulgendum ſi autem vicino prohibere non poſſum, ne feneſtres faciat, mihi vero graviſſimum eſt ut ille aream meam introſpiciat, tùm poſſum contra ædificando, intermiſſo tamen legitimo ſpatio ſecundum *l fin. ff fin. regund,* vicini lumina in tôtum vel pro parte obſcurare, & impedire, qvo minus per feneſtras illas proſpectum habeat in meum fundum, (modo ſervitus proſpectus & ne luminibus officiatur non ſit impoſita.) *Schneidv. J. de S, V. P. n. 21. Carpz. p. 2. C. 41. def. 12. n. 4. Richter Deciſ. 6. n. 4.*

aut

aut agere ut vicinus feneſtras ferro muniat, vel ferratis abducat, ne qvis per illas clanculum domum ſuam ingredi posſit, & debent ferratæ iſtæ ſub facientis ſtillicidio contineri, nec ſupra ſolum vicini, qvod ad cœlum usq; liberum eſſe debet, extendi, *Capolla de ſervitut. V.P. C.55.* In pariete vero communi ſocius altero invito feneſtram facere neqvit, *l. qvidam biberius l. eor. ff. de ſerv. V.P.* cum ex feneſtra totum murum perforante judicetur cujus ſit paries.

§. 20. Succedit alia ſervitus qvæ ſtillicidii avertendi & non avertendi vocatur, qvæ ex tecto provenit, Servitus ſtillicidii avertendi eſt, qvando tectum meum in aream vicini porrigere poſſum, ideo, ut aqva pluvia per ſtillicidium illuc cadat, qvod ſervitute hac non conſtituta facere non poſſum, *l. final. §. Lucius ff. de S.V.P. addatur l. altius C. de ſervitut. & aqva.* idem etiam de Jure Saxon. prohibitum reperimus, *lib. 2. art. 28. Landr.* Servitute hac conſtituta, debet dominans modum conventum ſervare & ædificium ut nunc eſt, retinere, nec poteſt illud ulterius porrigere vel extendere, nec ſtillicidium multiplicare, & ita ſervientis conditionem de terrorem facere, retroducere vero poteſt *l. 20. §. 3. 4. 5. ff. d. S.V.P.* Nec poteſt etiam aqvam qvæ antea guttatim decidebat, per canale in vicini aream deducere nam tum groſſior caderet aqva. *d. l. 20. §. 4.* nec etiam ædificium, ex qvo ſtillicidium decidit, dimittere, altius vero tollere poteſt, lenior enim tum fit ſervitus, cum multa accidere posſint, ne aqva ad deſtinatum locum cadat, & guttulæ dum ex alto cadunt ſæpisſimè vento ad ædificium impelluntur. *d. l. 20. §. 5.* Si forte ædificium corruit, non amittitur protinus ſervitus, *Capolla d. S.V. P. c. 28. n. 6.* & ſi per longum tempus non reſtauretur. Sed repoſito ædificio reviviſcit qvoq; ſervitus modo ædificium eadem ſpecie reponatur & qvalitate, ſi enim dilataretur, augeretur etiam ſervitus. & imponeretur ei loco qvi alias liber eſt, qvod non permittendum, cum ſervitus activam extenſionem non patiatur *Köppen Deciſ. 15. n. 7.* Et ſicuti dominans ſervitutem augere neqvit, ita neqvit etiam ſerviens eam minuere, ex correlatione & identitate rationis, non tamen prohibendus eſt ſerviens ædificium ſuum usq; ad ſtillicidium producere, modo locum illum non occupet, alias poteſt propria autoritate repelli *Köppen d. Deciſ. 15 n. 3. 13. & 14.* Ubi autem dominans hoc admittit, præjudicat ſibi in ſervitute &

C amit-

amittit eam *l. 7. ff. qvemad. ſervitut. amitt.* Locus ille in qvem ſtillicidium caſitat, eatenus qvatenus, ſtillicidii regor ſe protendit, ejus præſumitur cujus eſt ſtillicidium *l. ult. ſ. de S. V. P.* niſi conſtaret ſtillicidium jure ſervitutis haberi, aut niſi vicinus ſit in poſſeſſ. illius loci aut niſi conſtet ſtillicidium ab initio in alienam aream fuiſſe derivatum *Manz. de Servitut. P. V. tit. 2. qv. 41. n. 139. & ſeqq.* Traditur tamen pro cautela *à Cepolla tr. de Servitut. c. 40. n. 5. 6.* ut ædificantes lapidem vel aliud qvid in ſuo muro ultra murum in tantum, qvantum ſpacii ædificando relinqvunt, aut qvatenus ſtillicidium protendit exponant, qvo probare posſint ſpatium iſtud eſſe ſuum, qvo probato poſſunt portam aut aditum eo facere, qvod alias prohibitum cum ad locum alienum non detur acceſſus. Is qvoq; qvi juxta dominum alienum ſtillicidium facit, debet ſolum incruſtare & aqvam deducere, ne vicini murus propter asſiduum humorem macreſcat, aut damnum patiatur: *Cepoll d. l.*

§. 21. Servitutes ſemel impoſitæ perpetuo qvidem ac firmisſime prædio inhærent. Verum cum in humanis rebus nihil tam firmum & ſtabile, ſit qvin mutationem qvandam patiatur, dicendum qvoq; erit qvomodo ſervitutes amittantur. Amittuntur igitur 1. Ipſo Jure ſi nimirum ille, qvi ſolummodo temporale ſeu revocabile dominum habuit, dominus prædii ſervientis eſſe deſinit. *Zoëſ. tit 6. n. 6. lib. 8. ff.* dantis enim jure reſoluto reſolvitur qvoq; jus accipientis nec poteſt qvis plus juris in alium transferre, qvam ipſemet habet *addatur Struv. E. 13. Th. 60.* 2. amittuntur remisſione ſive ea ſit expreſſa vel verbis declarata *l. 6. verſ. poſſunt tamen. ff. qvemad. Serv. amitt.* (eodem enim modo qvo qvid ligatur, eodem ſolvitur etiam *l. 153. d. R. J.*) ſive tacita. ut qvando qvis patitur qvid fieri in fundo ſerviente, per qvod ſervitutis uſus impeditur *l. 8. ff. eod.* Si autem duæ diverſæ ſervitutes in eodẽ prædio ſunt conſtitutæ, qvamvis una tollatur, remanet tamen altera *l. 20. ff. de S. R. P. Struv. Exert. 13. Th. 55.* 3. Confuſione, ſi ſcil idem utriusq; totius prædii dominus eſſe cæpit. *l. 1. ff. qvemad. Servitut. Strauch. Diſſert. 7. Th. 14.* propria enim res domino ſuo non ſervit, *l. uti frui ff. ſi uſus petat. l. in re comm ff. d. S. V. P.* 4. Interitu prædii tam ſervientis qvam dominantis hæc enim tanqvam accidens, ſubjecto corrupto ſalva eſſe neqvit qvod ſi vero res redeat, vel reſtituatur redit ſimul & reviviſcit qvaſi ſervitus.

Zoëſ.

Zoëſ. d.l.n.4. Struv. d.Exert.13.§.54 addatur Carpz.p.2 C.41. def.ult.

§. 22. Amittitur qvoq; ſervitus non utendo X annis inter preſentes, & XX. inter abſentes, (is non uti dicitur qvi ex negligentia non qvi ex neceſſitate non utitur. *Strauch. d. Differt. §.27*) Si autem ea lege ſervitus eſt conſtituta, ut non niſi alternis annis vel menſibus ea qvis uti debeat, tum amittitur duplicato tempore, *Harprecht. J.tit.de ſervit. §.fin. n.32.* Si vero ſingulis qvinqvenniis tantum ſemel ire conceſſum ſit, per qvatuor qvinqvennia non utendo amittitur *Zoëſ. ad tit. 6. lib.8 ſ. n.7.* Et hæc ita in R.P ſervitutibus procedunt, in Urbanis vero reqviritur ultra curſum tanti temporis etiam factum qvodam à domino prædii ſervientis per qvod uſus ſervitutis impeditur & alter in qvaſi poſeſſionem ſervitutis conſtituitur, *l.6.7.32. d. S.V.P.l. 18.ff. qvemad. ſervit. Habn. ad Weſenb. d.l. n 6.* ratio diverſitatis hujus videri poteſt *apud Harprecht. d. l.*

§. 23. Cauſa efficiens eſt homo liber, qvi rerum ſuarum liberam adminiſtrationem habet, & qvid agit intelligit, ſubjectum vero eſt ſolum? Solo enim qvod non inhæret, aut fundamentum in eo non habet, ædificium non rectè dicitur. *l. 8. ff. de act. emt.* Ratione ſubjecti hic ſciendum. Qvod omne ædificium ſoli naturam aſſumat, *Hering. de Molend. qvaſt. 14. n. 16.* & ſemper ſolo cedat, etſi ex aliena materia qvis ſciens in ſuo ædificet *l.2. C.de reivend. §. ex diverſo 30. J. Rer. diviſ. l. 50. ff. ad L. Aqvil. l. obligationum 44. §. 1. in fine ff. de obligat.& act.l.ult. ff. de ſuperficiebus.* Et qvamvis ejusmodi ædificium ædificanti cedat, tamen competit domino materiæ contra ſcienter ex re aliena ædificantem actio de tigno juncto, aut ad exhibendum, aut rei vindicatio, nō qvidē ad id, ut ſtante ædificio tignum jam tum junctum eximatur (qvod nunqvam ſine ædium incommodo aut magno vitio fieri poteſt, raro qvoq; accidit, ut tignum ita ædibus aptatum domino commodo ſit) nam hoc expreſſe prohibitum reperimus *in l. 1. pr. ff. de tigno junct. l. 98. §. ult. ff. de ſolut. l. 7. C. de ædific. privat.* hoc enim prætextu diruerentur ædificia & deformaretur urbis aſpectus ruinis, ſed ut contra jungentem in litem jurari poſſit, aut ſi actione de tigno juncto ageretur, hic æſtimationem præſtet olim qvidem duplum tam bona qvam mala fide jungens, verū hæc actio exolevit & hodie tantum ſimplum una cùm intereſſe peti poteſt. *Dn. Struv. Exer 48. §.33.*

C 2 notan-

notandum tamen, qvod contra Fabrum tignarium (qvo nomine omnes qvi ædificant intelliguntur. *l 235. ff. d. V S.*) hæc actio non detur, ſuo enim nomine non jungit, ſed alieno, ſi autem hic tignum eſt furatus, tenetur furti. *Struv. d.l. §. 27.*

§ 24. Si ex noſtra materia in alieno ſolo ædificamus, tum ſecundum prius dicta ædificium indubitato ei cedit, cujus ſolum eſt num autem æſtimatio repeti posſit, diſtingvendum eſt. Num qvis ſciens num ignorans ædificaverit, hoc caſu ſi Dominus ſoli ædificium vindicat, poteſt hunc doli exceptione repellere, & retentionis jure tam diu uti donec ipſi ſumtus reddantur. *§. 30. ſ. de R. D. l. 14 ff. d. doli mali except. l. 45. §. 1. ff. de act. emti l. 7. §. 12. l. 9. princ. ff. d. aqvir, rerum domin. l. 11. lib. 6. C. de Rei vindic.* ſi vero Dominus fundi poſſesſionem ædificii jam tum eſt nactus, poteſt ædificans per condictionem incerti poſſesſionem repetere, & eo usq; retinere donec ſumptus receperit. *l. 15. §. 1. l. 40 §. 1. ff. d. condict. indeb. l. 21. ff. ad. SC. Trebel. l. 38. add. l. 16. §. 7. ff. d. heredit. petit.* Naturalis enim æqvitas non permittit, ut altera alterius incommodo locupletetur vel ex ejus jactura lucrum capiat, *l. 14. ff. de condict. vindeb. l. 38. verb. non enim de hereditdt petit.* Si vero ſciens qvis in alieno ſolo ædificat, ſpectandum eſt, num ædificans poſesſionem ſoli, vel aliud Jus in re habeat à domino, nec ne priori caſu poteſt impenſas repetere, *Richter. Deciſ. 17. n. 7.* præſumitur enim animo repetendi, reſtitutionis caſu adveniente feciſſe, modo ædificium ſit neceſſarium aut utile *Carpz. Jur. prudent. forenſ. p. 3. c. 31 d. f. 10.* Poſteriori caſu videtur ædificans ſumtus donandi animo feceſſe. *arg. l. 53. & R. I. l. 5. C. d. R. V. l. 5. C. d. ædif. privat. §. e diverſo I. de R. D. l. 7. §. 12. ff. de A. R. D. addatur l. 29. ff. de donat. Maſcard. de probat. C. 554. n. 9.* nec poteſt ſumtus repetere propter culpam, qvod in alieno ſolo ædificavit. Niſi fundi domino ſciente ædificet, tum enim propter tacitam domini conceſſionem ſit ædificans tutus ita ut impenſas repetere posſit, aut ipſum ædificium retinere *Honded. Conſ. 84. n. 55 vol. 2.* Scientia enim & patientia habetur pro conſenſu, & qvi non prohibet id qvod facile prohibere poteſt, expreſſe in id conſentire videtur qvod agitur eſt enim par virtus taciti & expreſſi: *l. 1. §. 5. cum gloſſ. verb. impoſuiſſe ff. de Exercit. act. c. qvi tacet 43. de R. I. in 6. Carpz. p. 2. c. 10. def. 5. n. 13.* modo probari posſit dominum ædificationis tempore

ſciviſſe,

ſciviſſe, non autem ædificio jam tum exſtructo ſupervenisse *Johan. Baptiſt. Coſt. r. de Juris & facti ignor. cent 1. diſt. 1.* Et qvamvis de Jure ſtricto hoc poſteriori caſu ædificans ſumtus amittat, tamẽ cum potius ſtultitia qvam donatio præſumatur imo actus potius invalidus judicari debeat *Menoch. de arbitr. Jud. lib. 2 cent 1. c 88. n 3. Maſcard. de probat conclu 554.* dominus etiam hoc modo cum alterius jactura & magno incommodo diteſceret contra naturalem æqvitatem, ideoq; putamus, qvod ædificanti ex æqvitate (qvam Judex ſemper ob oculos habere debet *l. 8. C. de Judiciis l. 4. fin ff. de eo qvod certo loco)* ſumtus reſtitui debeant aut concedi ut ſuper impoſitum, ſalva tamen rei ſubſtantia tollere poſſit. *l. 27. d. R. V.* attento, qvod hic de lucro captando, alter vero de damno vitando certet, cui ſemper ſuccurrendum. *l. 22. §. 5. circa fin. C. d. Jure deliber. l. 12. § 2. C q potior inpignor.*

§. 25. In loco ſacro, ob divinum cultum & religionis fervorem, qvid ædificare, per qvod aut locus deformetur, aut ejus uſus intercipiatur, per interdictum. Ne qvid in loco ſacro, prohibemur & ubi tale qvid jam tum factum, auferre jubemur. *l. 2. § 19 ff. ne qvid. in loc publ. vel itin. l. 2. § 1. ff. de interd. ſive extra ordin. act.* & cum publice interſit ut loca publica tecta ſartaq; ſerventur *l. 2. §. 2 ne qvid in loco publ.* ideoq; poteſt qvilibet de populo hoc interdicto agere, *Schneidw. de interdict. §. ſumma n. 51. Weſenb. paratit. ff. ne qvid in loco ſacro n. 5.* Idem etiam de aliis locis ſanctis, ut ſunt portæ & muri civitatum, dicendum, in his enim ſine Principis aut communitatis conſenſu opus qvoddam facere, plane non licet, *l 9. §. 4 ff. de rerum divif. l. 6. C. de oper. publ.* niſi ornamenti vel utilitatis cauſa fiat. *Honded Conſil. 100. n. 42. vol. 2.* Eadem prohibitio obtinet etiam in alis locis publicis, qvæ in nullius patrimonio ſunt. *l. 2. princ. & §. 2. ff. ne qvid in loco publ. l. 1. ff. de de locis & itineribus publ.* & ſi in eo qvid eſt exſtructum per qvod uſus publicus non intercipitur, tum non deſtruendum eſt ædificium, ſed ſolarium ſeu vectigal ei imponi debet, *l. 2. §. 2. & 17 ff. ne qvid in loco publ.*

§ 26. Fructuarius cum fructuarii fundi dominus non ſit, inde non poteſt in fructuario fundo prout ipſe vult, verſare Neqve enim proprietario diſſentiẽte ædes ampliare, nec illis qvid detrahere (qvamvis melius ſit repoſiturus) nec altius tollere nec rudibus parietibus

ctibus tectum novum imponere, qvamvis per id domini conditionem meliorem faceret, nec ædificium inchoatum conſumare, etſi alias eo loco uti non poſſet, nec deniq; novum ædificium imponere poteſt, *l. 7. §. ult. l. 8. l. 13. §. 7. l. 44. l. 61. de uſufruct.* hoc enim caſu fieret proprietatis conditio qvodammodo deterior, contra *l. 13. §. 4. d. tit.* ſed ubi hoc facit, amittit ſumtus impenſos *l. 15. princ. eod. Manz. de uſufruct. qv. 12. n. 102.* tenetur tamem uſufructuarius omnem rei curam ſuſcipere & cuſtodiam, ut qvilibet diligens pater familias, & ſarta tecta ſuis ſumtibus habere & reficere, mit ſeinen Koſten in Dach und Fach erhalten. *l. 7. §. 2. & 3. ff. de uſufructu l. 2. ff. uſufruct. qvemad. cav. l. 7. C. eod. ibiq; Peretz. l. 20 ff. de de damno infecto.* (Excepto pariete illo qvi ſervitutem oneris ferendi debet, hujus enim refectio ad proprietarium ſpectat, ut & eorum qvæ vetuſtate corruerunt. *l. 11. §. 1. d. S. V. P. l. 6. §. 3. ſi ſervit. vind. l. 7. §. 2. ff. de uſufruct. 65. §. 1. eod. Manz. de uſufruct. qv. 15. n. 179. tit. 1.* niſi paratus ſit uſumfructum relinqvere, *l. 48. & 64. eod.* aut impenſæ ſint immodicæ, (qvod judici dijudicandum relinqvitur, habita conſideratione perſonæ & magnitudinis rei *Garſias de expenſ. & meliorat. C. 11. n. 16. Schrader. de feud. p. 2. part. 9. princ. ſect. 2. n. 69.*) qvæ itidem ad proprietarium ſpectant *l. 7. §. 2. verb. modo ff. eod.* Nec poteſt cogi uſufructuarius ut ejusmodi ſumtus ſuppeditet, nam nemo tenetur obligationi ſeſe cõmittere, ſi vero ſponte vult, poteſt nec habet neceſſe, ut anteqvam impendat domino annunciet, ſed poteſt eo etiam inſcio ſumtus neceſſarios & ad perpetuam rei utilitatem facere & poſtea repetere, ita enim liberavit fidem ſuam, & ſatisfecit ſuæ obligationi, qva tenetur in uſufructuaria re verſari tanqvam bonus pater familias. *Arius Pinellus ad l. 1. C. de bonis mater. p. 2. c. 72. Sichard. ad l. 7. C. de uſufr. n. 6. 7. & 8.*

§. 27. Qvamvis Vaſallo irrevocabile dominium in re feudali non competat, ſed ſolummodo utilis dominus ſit, tamen ea omnia, qvæ verus dominus facere poteſt, & rem feudalem meliorare aut ædificando, aut reparando, aut alio qvocunq; modo, *2. feudorum 8. §. Rei autem & §. econtrario. Hartm. Piſtor. p. 2. qv. 42. n. 48.* Et ſi forte feudum domino, (citra felouiam tamen, eo etenim caſu amittit Vaſallus omnia melioramenta, aut ſumtus impenſos nec ullus datus ei regreſſus adverſus ſuccedentem, *arg. l. 2. C. de Jure Emphyt.*

Roſen-

Roſenthal. de feudis. c. 10. concl. 43. n. 8. niſi ſint talia, qvæ per ſe ſtare poſſunt. *Roſenthal. d. l.*) aperitur, poteſt aut ipſe aut ejus heredes ſive ſint maſculi ſive fœminæ, ſumtus meliorationis repetere, aut actione negotiorum geſtorum, aut condictione indebiti vel ſine cauſa. *Roſenthal. d. c. 10. concl. 43. n. 101. Schrader. de feudis p. 2. p. 9. princ. ſect. 2. n. 49.* Imo poſſunt feudum tam diu retinere, donec impenſæ refundantur. *Berlich. concl. 42. p. 3. n. 15.* modo impenſæ iſtæ ſint liqvidæ, aut in continenti liqvidabiles, & perpetuam feudi utilitatem concernant, relinqvitur tamen ſucceſſori feudi liberum, num velit ſumtus reſtituere, aut permittere, ut factum tollatur. *Berlich. p. 3. concl. 41. n. 2.* heredibus vero Vaſalli id non permittitur. Sed ſi ſucceſſor eſt paratus ad æſtimationis præſtationem, recipere tenentur hi æſtimationem, *Menoch. de recuperand. poſſeſ. remed. 15. n. 531.* Et hæc de Jure Communi procedunt ita, de Jure vero Saxon. qvidqvid Vaſallus (ſecus ſi Vaſalli heres anteqvam Dominus feudum apprehendit, faciat) in feudo exſtruit, aut reparat, ſive ædificium ſit neceſſarium, ſive utile, omne feudi ſucceſſori accedit, nec poſſunt heredes defuncti ſumptus aut expenſas illas repetere, cæteras vero meliorationes omnes, ut & ea ædificia, qvæ in ſolo fundamenta non habent, Vaſalli hæredes repetere poſſunt, *Conſtit. Elect. 31. p. 3. ibiq; Carpz. Berlich. Concl. 41. per. tot. p. 3.*

§. 28. Idem fere etiam de marito reſpectu fundi dotalis dicendum, eſt enim legalis vel utilis dotis Dominus. *Habn. ad Weſenbec. ff. de Jure dot. n. 7.* & percepit omne commodum qvod ex eo percipi poteſt. *l. 7. princ. ff. de Jure dot. l. 20. C. eod* inde tenetur etiam ſuis ſumtibus rem tueri & reficere, cum commodi & oneris eadem ſit ratio *l. 12. l. 15. ff. de impenſ. in rem. dotal. fact. l. 28. §. 1. de donat. inter virum & uxorem.* qvod ſi facere neglexit maritus, datur uxori ejusq; heredus contra Maritum & ejus heredes actio ad intereſſe, *l. 4. ibiq; Gothofr. ff. de impenſ. in res dotal. fact. Garſias, de Expenſ. & meliorat. c. 13. n. 27. ſeqq.* Excipiuntur tamen impenſæ magnæ fructus ſuperantes qvas maritus repetere & tam diu fundum retinere poteſt, usq; dum ſolvantur *§. 37. I. d. action. l. 5. princ. & §. 2. ff. de impenſ. in rem. l. 1. §. 2. l. 3. §. 1. eod. l. 7. §. 16. ff. ſoluto Matrim. arg. l. 14. §. 1. Comm. divid.* poteſt qvoq; maritus utiles impenſas ſi expreſſus uxoris conſenſus acceſſit repetere, olim qvidem retentionis Jure, aut

dole

doli exceptione utendo, hodie vero màndati actione *l. unic. §.5. verb. cum enim C. de rec. uxora. act. l. utilium ff. de impenſis rem dotal.* eſſet enim alias ſatis iniqvum ut maritus ejusq; heredes, tanqvam b. f. poſſeſſ. videant ſubſtantiam ſuam penes alium. Si autem hujusmodi ſumtus ſunt immodici, propter qvas uxor fundum relinqvere teneretur, tunc non poteſt eos repetere maritus, præſumuntur enim in uxoris fraudem facti *l. 8. ff. de impenſ. in rem dotal. fact. l. 79. §. 1. ff. de V. S. ibiq; Gothofr. l. 10. §. 1. verb. non autem. ff. negot. geſtorum. l. 38. ff. de R. V. Gail. lib. 2. obſ. 12. n. 7.* Voluptarios vero ſumtus nec deducere, nec horum reſpectu rem retinere poteſt, licet uxoris voluntate ſint facti, bene tamen ornatum, qvem poſuit, rei ſubſtantia ſalva auferre. *l. 9 ff. eod. l. un. C. de Rei. uxor. act. Hamel. de action. C. de act. pro dote repetend. n. 40. Struv. Exerc. 30. Ꝫ. 58.*

§. 29. De melioramentis in genere notandum. Quamlibet rem ob impenſas tam neceſſarias qvam utiles, fructus ſuperantes poſſe retineri, donec æſtimatio ſolvatur, in tantùm ut nec ſpoliator cogi poſſit, rem ſine ejusmodi ſumtuum refuſione, reſtituere. *l. plane ff. de heredit at. petit. Gail. lib. 2. obſ. 12. n. 6. 7.* Et poteſt hæc exceptio retentionis in ipſa executione objici, etiamſi in ſententia non ſit reſervata, & impedit executionem, etiamſi Actor paratus ſit ad præſtandam cautionem de ſolvendo pretio melioramentorum. *Roland. à. Valla. Conſ. 28. n. 3. vol. 1. Klok. Conſ. 124. n. 140. tom. 2. Schrader. de feud. p. 2. p. 9. princ. ſect. 2. n. 29* modo impenſæ ſint liqvidæ, aut in continenti liqvidabiles, & per architectos ſcientia & artis peritia ſatis inſtructos, aut per illos ipſos, qvi extruxerunt, probentur. *Valla d. Conſ. n. 31. Maſcard. de probat. concl. 1040. n. 13.* probari etiam in ſpecie debet, qvod hi ſumtus ſint facti aut ab ipſo petente, aut ab alio ad ſuum mandatum, vel ſui contemplatione, fieri enim poteſt, ut alius Domini contemplatione faciat. *Menoch. de recuper. poſſ. n. 567. remed. 15.* Melioramentis ſic rite probatis, debent neceſſario reſtitui, & qvidem ſecundum valorem temporis reſtitutionis, non attento num valor decrevit, num accrevit, ſed valor debet conſiderari ſecundum reſtitutionis tempus. *l. domus 58. ff. de Legat. 1. Gail. lib. 2. obſ. 121. n. 12. Menoch. de arbitrar. jud. lib. 2. cent 3. caſ. 258. n. 51.* qvæ ſantentia etiam ſumma æqvitate nititur. Poſſeſſor enim ſi reſtitutionis tempore minus recipit, qvam impendit,

non

non poteſt conqveri de damno, cum ipſe utendo meliorationes qvas fecit, detrivit, ſi vero Dominus omne id qvod impenſum eſt, præſtare teneretur, afficeretur magno damno, cum minus reciperet qvam ſolvit. Nec etiam Dominus conqveri poteſt, ſi eam æſtimationem præſtat, qvanti valet, cum tantum id, in qvantum fundus eſt melior factus reddatur. *Nec obſtat l. 38. verb ſolum qvod impenſ. ff. de Rei vind.* ubi dicitur qvod plus repeti non poſſit, qvam impenſum eſt, etſi valor reſtitutionis tempore multum ſit auctus. Hanc enim diſpoſitionem ſolum in eo, qvi nudus eſt detentor & nullum Jus in illa re habet, & in malæ fidei poſſeſſore, procedere tradunt. *DD. Roland. à Valla conſ. 30. n. 6. & ſeqq. vol. 1. Teſſaur. deciſ. pedemont. num. 251.*

§. 30. Cauſa finalis ædificiorum ſeu domum remota eſt decor urbis, ejusq; ſplendor, proxima autem inhabitatio hominum, ſine qva homines vitam tranſigere neqveunt, inde etiam ſub alimentis comprehenditur. *l. 6 ff. de aliment. Legat.* Effectus vero domuum eſt: 1. qvod eam nemo Domino invito, citra injuriarum actionem ingredi poſſit. *l. 23. ff. de injur. l. 18. ff. de in jus vocand.* præprimis noctu, ſunt enim tenebræ ad delinqvendum aptæ, *l. 1. §. tria numina ff. de ventre inſpic.* & nemo certo ſcire poteſt, qvo animo alter accesſit, num ad occidendum, num ad furandum, qvod poſterius qvamplurimum præſumitur, inde ſi furem noctu in mea domo reperio, poſſum eum capere, & tamdiu includere, dum judici tradere posſim. *Schneidew. ad tit. J. de obligat. qv. ex delict. naſc. §. furtorum n. 4.*, imo ſi armis reſiſtit, & nec ego nec alii cognoſcere poſſunt, qvis ſit, poſſum eum cum clamore occidere, *l. 4. ff. ad L. Aqvil. l. 9. ff. de Sicar.* Cum fure enim nocturno periculum rerum & vitæ ſemper concurrit, nec certo conſtare poteſt, num ad furandum ſolùm, num ad occidendum venit, *c. ſi perfodiens 3. X. de homicid. Carpz. prax. Criminal. p. 1. qv. 32. n. 35. Schneidw. ad L. Aqvil. §. injuriar. n. 6. 7.* Ratione pœnæ in fure nocturno ſpectandum, num cum, num ſine effractura domum ſit ingreſſus. Priori caſu ſecundum conſtitut. *Carol. V. art. 159.* laqveo punitur, etſi res ablata ſummam V. aureorum non aſcendat, aut etiamſi res ablata Domino reſtituatur. Valor enim hic non conſideratur, ſed ſolummodo delictum, qvod violenta effractione gravius ſit, *Menoch. de arbitr. Jud. c. 299.*

D n. 5.

n. 5. Carpz. p. 4. c. 32. def. 9. Poſteriori caſu ſi ſine effractura domum conſcendit, Wann er nicht eingebrochen / ſondern eingeſtiegen / de conſvetud. hodierna non niſi ſumma V. aureos ſuperet, ſuſpenditur. *Carpz. prax. Crim. p. 2. qv. 79. per tot.*

§ 31. Huic & illa qvæſtio. Num rem furtivam in aliena domo inqvirere liceat, qvaſi coharet, & hoc regulariter non concedi, tradit *Schneidw. ad tit. J. de obligat. qv. ex delict. §. conceptum n. 2.* hocce enim prætextu inſervirent domus noſtræ omnium curioſitati, & panderentur ſecreta patrimonii noſtri, qvod graviſſimum eſt, *l. 2. in pr. verſ. qvid enim tam durum. C. qvando & qvibus qvarta pars.* Niſi perſona illa malæ famæ & conditionis, & contra eam qvædam ſuſpitio ſit, nam tum non ſolùm perſcrutatio permittitur, ſed etiam ejusmodi perſona capi & incarcerari poteſt, *Schneidw. d. l. Berlicb. p. 5. concl. 45. n. 24. 25.* Servum qvoq; fugitivum in domo aliena, etiam Domino invito, inqvirere licet, *l. 1. §. boc autem ff. de ſervo fugitivo.* Non etiam licet delinqventem in domo ſua celare vel abſcondere, niſi ſe qvis & criminis, & ejusdem pœnæ, qva principalis, reum facere velit, *l. 1. ff. de receptat. tot. tit. C. de his qvi latron. l. congruit ſub fin. princ. ff. de officio præſid. Berlicb. p. 5. concl. 56. n. 55.* ejusmodi enim receptator videtur particeps delicti, maxime ſi inter eum & delinqventem nulla adeſt conſangvinitas nec ulla amicitia cum eo intervenit. *Maſcard. de probat. vol. 3. concl. 1258. in princ. Honded. vol. 2. p. 6. conſ. 87. n. 26. 27.* Exceptis Parentibus conſangvineis cognatis, & affinibus, hi enim ſi delinqventem de ſua familia occultant non puniuntur eadem pœna qva ipſe Reus, aut alii receptatores, nam non par eſt horum delictum cum eorum, qvi nihil ad ſe pertinentes latrones recipiunt. *l. 2. ff. de recept. Zoëſ. ibid. n. 2. Weſenb. eod. n. 2.* videatur tamen *Carpz. pr. Crim. p. 3. q. 134. n. 52. & ſeqq.*

§. 32. Secundus domum effectus eſt, qvod cuilibet tutiſſimum receptaculum rerum ſuarum, & ſecurum refugium præbeant, *l. 18. ff. de in Jus vocando.* Inde in alienarum domuum expugnatores, Hauſsfriedbrecher / pœnam capitalem Jure civili ſtatutam legimus, *in l. 3. §. 2. & 6. & l. 11. prin. ff. de vi publ.* Hodie vero arbitrarie puniri decet *Coler. p. 1. Deciſ. 155. n. 16. & ſeqq. Jul. Clar. lib. 5. recept. ſentent. §. fin. qv. 83. verſ. vim publ.* niſi ejusmodi expugnatio incidat in crimen fractæ pacis publicæ, nam tum gladio punitur, qvando au-

do autem publica pax fracta dicatur. docet *Carpz. Juriſpr. forenſ. p. 4. Conſt. 13. def. 4. 6. 7. addatur cap. 27. feud. 2.* Et notandum, Dominum ædium ita expugnatarum effundendo, dejiciendo vel alio modo turbatores licite lædereq; vulnerare, imo etiam occidere poſſe, vi enim vim repellere, omnia jura ſine perſonarum, temporis & loci reſpectu concedunt, & qvia is, qvi ædes expugnat, in dolo eſt conſtitutus, *l. 2. §. doli mali. ff. de vi bonorum raptorum.* addatur *l. 3. §. 5 ff. de vi & vi armata.* ideoq; merito damnum illud qvod ſua culpa ſentit, ſibi ipſi imputare debet, *l. 203. ff. de R. J.*

§. 33. Sicuti ex jam dictis conſtat, qvod alterius domum nec oppugnare, nec eam ipſo invito ingredi poſſimus, multo minus poterimus eam incendere, ſed ubi ex propoſito & malo dolo hoc qvis facit, hodie (olim diſtingvebatur inter incendium ruri & in urbe factum, & illud mitius puniebatur. *l. fin. § qvi data opera. ff. de incend. ruin. l. 28. §. 12. ff. de pœnis, l. ſi qvis dolo 10. ff. de Sicar. Rauchbar. p. 2. qvæſt. 10. n. 7.*) *ex Conſtitutione Caroli V. art. 125. & Conſtit. Elect. Sax. p. 4. c. 17.* ſubjicitur ſupplicio ignis, & comburitur vivus qvale qvale etiam ædificium ſit qvod combuſſit, *add. l. 9. ff. de incend. ruin.* Imo etiamſi plane nullum aut minimum damnum datum ſit, nam non tam effectus qvam affectus vel animus conſiderandus, & metus majoris periculi, maxime ſi ad actum proximum venit, & materiam ad incendendum aptam expoſuit. *Carpz. p. 4. Conſtit. 17. def. 3. & 4. per textum expreſſum illius Conſtitutionis.* Et hoc procedit ſine reſpectu ſexus aut dignitatis vel conditionis, honoris enim vel dignitatis prærogativam excludit reatus. *l. 1. C. ubi ſenat. vel clariſſ. l. præſtiter. 8. C. de Cleric. & Epiſcop. l. qvoties. 17. C. de dignitat.* & is qvi in legum præcepta delinqvit, beneficio legis ſeſe tueri neqvit, *l. 37. in fin. ff. de minor. Dambaud prax. Crim. cap. 103. n 1.* accedit etiam delicti atrocitas qvippe ex qvo nihil utilitatis aut voluptatis percipit, ſed ſolummodo vicino irreparabile damnum infert, dum ei id qvod natura ad evitandas tempeſtates cœli hominumq;, & beſtiarum injurias excogitavit, aufert. *Dambaud. d. l.* Hæc pœna obtinet etiam tum qvando qvis dolo malo aut animo nocendi proprias ædes inflammavit, *Carpz. prax. Crim. p. 1. qv. 38. n. 38. & 46.* niſi eo animo ædes qvis incendat, ut ita ſeſe à collectis contributionibus

& aliis oneribꝰ liberet, nam tum propter propoſitum, alteri damnum inferendi ceſſans, punitur extraordinarie. *uti hoc poſt Schneidew. & Rauchbar. latius deducit Carpz. lib. 6. tit. 9. Reſp. Jur. 93. per tot.*

§. 34. Tertius effectus eſt qvod qvilibet in ſua domo facere poſſit id qvod velit hac tamen limitatione, dummodo alteri damno aut nocumento non ſit, hinc videmus Doctores Advocatos & Profeſſores actu legentes, docentes & conſulentes *Honded. vol. 1 p. 5. Conſil. 81. n. 50.* poſſe vicinum artem mechanicam ſtrepiferam exercentem vel clangorem in domo ſua excitantem, ſi eum habitatione prævenerunt (nam prævenitionis cauſa in jure maxime attenditur *Coler. de proceſſ. execut. C. 4. p. 1. n. 8.*) è vicinia expellere, aut prohibere ne ulteriꝰ ſtrepitum aut clangorem faciat, & ita eos in ſtudio impediat, cum Reipubl maxime interſit doctos habere viros, qvorum ſcientia totus mundus illuminatur *Schneidw. ad §. fin. n. 6. J. de locat. cond. Honded Conſ. 81. n. 9. Finkelthaus obſer. 64.* debet tamen Judex hoc caſu omnia probe conſiderare, maxime id, ſi forte faber Doctorem habitatione prævenit, num Doctor æqve commode alibi habitare poſſit, qvo caſu faber non debet expelli, niſi eum locum accedat, qvi publicæ lectioni eſt deſtinatus. *Menoch. de arbitr. Jud. C. 237. Carpz. ad Conſtit. Elect. 37. def. 23. p. 2.* Ita prohibemur etiam de domo noſtra eum in locum in qvem vulgo iter fit qvid ponere vel ſuſpendere, qvod decidendo aliis nocere poſſit, ſub pœna 10. aureorum *text. in l. 5. §. 6. & ſeqq. de his qvi dejecerunt §. item 15. J. de Obl. qv. ex qvaſi delict. l. ſi qvis abſentes §. is qvoq; 5. verſ. cui ſimilis ff. d. O. & J.* via enim publica libera eſſe debet usq; ad cœlum. *l. unic. ff. de via publ.* & hæc pœna debet ſolvi etiamſi jam tum qvid nocitum non ſit, *d. l. 5. §. 1. Schneidw. ad d. §. item n. 11. J. & O. qva ex qvaſi delict.*

§. 35. Similiter ſi in platea vel via publica qva vulgo iter fieri aſſolet ſive noctu, ſive interdiu projiciendo vel effundendo de domo noſtra qvem lædimus, tenemur ad damni dati dupli æſtimationem, ſi res æſtimabilis, *l. 1. princ. l. pen. §. 1. ff. de his. qvi dejecerunt.* Si vero homo qvis eſt vulneratus, tum pro Judicis arbitrio ad emendam ac intereſſe, habita conſideratione & computatione impendiorum in curationem factorum, & operarum qvibus caruit aut cariturus

riturus eſt (deformitatis vero aut cicatricum nulla habetur ratio, cum liberum corpus nullam æſtimationem recipiat, ut & doloris Schmertzengeld/condemnamur, *l. ult. eod. Schneidvv. cit. l. Carpz. pr. Cr. p. 2. q. 99. n. 27. & ſeq.* publice enim intereſt loca illa, per qvæ publice iter fieri ſolet tuta eſſe, qvo ſine metu per ea commeare poſſimus. *l. 1. princ. & §. 1. 2. ff. de his qvi dejecer. l. 24 ff. ad L. Aqvil. Oldendorp. Claſſ. 6. act. l. 20. in princ. Gilhauſ. arb. Judiciar. c. 3. num. 260.* Nec tenetur actor vel læſus perſonam illam qvæ damnum dedit in ſpecie denominare, ſed ſufficit probare qvod ex hac vel illa domo damnum ſit datum, præſtat enim pater familias non ſolum ſuam, ſed etiam ſuorum culpam, *l. pen. §. 2. de his qvi dejecer.* & ſibi imputare debet, qvod non diligentiores aut cautiores elegit. ſi vero domus per cœnacula eſt diviſa, alſo daß viel Partheyen abſonderlich in einem Hauſe wohnen / tum debet actor demonſtrare ex qvo cœnaculo ſeu parte projectum ſit, & tunc tenetur is qvi illud inhabitat, *l. 5 ff. eod.* Secus ſi eum in locum effundatur in qvem iter alias fieri non aſſolet, maxime ſi de nocte fiat, hæc enim lex ſolummodo publicas & uſitatas vias tutas vult, non vero clancularias vel inſolitas. Carcerem qvoqve privatum in ſua domo habere ſub Majeſtatis pœna prohibitum, *tot. tit. C. de carcere privato. ibiq; Peretz.* Ideoq; qvamvis qvilibet delinqventem capere & includere poſſit, tamen ultra 20. vel 24. horas eum detinere neqvit, ſed debet captum intra illud tempus Judici præſentare. *Berlich. p. 1. Concl. 73. num. 126. Schneidevv. ad tit. J. de oblig. qv. ex delict. §. finitorum. n. 4.* Hæc tamen prohibitio non extenditur ad Patrem, Maritum & Dominum, qvi uxorem filium aut ſervum in certum qvoddam conclave includunt, correctionis ergo, nam hoc non fit cuſtodiæ cauſa, ſed ad morum emendatiouem, *Schneidvv. ad J. de patria poteſt. n. 6. Carpz. prax. Crim. p. 1. qv. 41. n. 124.*

§. 36. Sicuti privata domus inhabitanti ejusq; rebus firmiſſimum præſidium & ſecuritatem præſtat, Ita etiam caupona ſeu diverſorum peregrinantibus vel viatoribus eorumq; rebus plenam ſecuritatem præſtare debet, *tot. tit. ff. nauta caup. & ſtat.* propter fiduciariam ſecuritatem, qvam viatores erga caupones

habent, & habere tenentur, & propter tacitam ſecuritatis promisſionem, qvæ cauponam vel diverſorium exercendo qvaſi promittitur: Ad rei itaqve viatori in caupona vel diverſorio, etiam ſine cauponis culpa ablatæ, *l. 1. §. ult. l. 2. l. 3. princ. & §. 1. ff. eod.* (qvamvis res illa cauponi expreſſe non ſit asſignata, vel inſpecie tradita. *l. 1. § 8. eod. Weſenb. eod. n. 5. Carpzov. p. 2. c. 26. def. 10.*) una cum omni cauſa, reſtitutionem tenetur caupo, etiamſi viator gratis divertatur, & etiamſi pro cuſtodia nihil pretii recipiat, *l. 5. princ. l. 6. princ. l. 4. eod.* Imo etiamſi non ipſe, ſed alius qvis, utpura viator qvidam, vel alius cujus opera caupo utitur, abſtuliſſet, *l. 1. §. l. ult. 2. l. 3. pr. & §. 3. l. 6. l. 1. eod.* Cauponis enim periculo omnis res recepta eſt, & illata. *l. 3. pr. eod. l 1. §. 4. furti adv. naut.* nec neceſſe habet actor ut eum qvi abſtulit nominet, *Struv. Exerc. 8. Th. 111.* debet tamen viator rem immiſiſſe probare, qvo caſu interdum ipſius juramento ſtatur, *uti poſt Sichard. in rub. C. depoſiti probat Struv. E. 8. Th. 119. Schneidevv. ad §. item exercit. J. de obligat. qv. ex qvaſi delicto.* Liberatur tamen caupo ab actione ſi prædixit ut qvilibet res ſuas cuſtodiat, & ſe nolle damnum præſtare, modo viatores conſentiant, & ſi mediaſtino res eſt tradita. *l. fin. princ. verſ. item ſi prædixit, l. 1. §. 2. & 5 ff. nautæ caup. & ſtabul.*

§. 37. Veteribus erat certa ædificandi forma præſcripta, qvam excedere non poterant, *l. 1. C de ædif privat.* ultra tres enim contignationes ædificare erat interdictum, hanc altitudinem reduxit Auguſtus poſtea ad 70 pedes, Trajanus vero ad 60 *Gothofred. ad L. 1 C. de ædif. privat.* Verum haſce prohibitiones hodie non valere docet non modo qvotidiana experientia ceu rerum omnium magiſtra, ſed etiam *l. altius l ſi in ædibus C. de ſervitut. l. fin. §. fin. ff. qvod vi aut clam.* qvibus hodie cuilibet ſuæ utilitati prolubitu & ad beneplacitum etiam ad cœlum usq; ædificare permittitur, etiamſi per id alteri noceat, charitas enim ordinata incipit â ſe ipſo, & eſt qvilibet ſibi ipſi proximus, & poteſt ſuam conditionem meliorem facere, etſi per accidens alius damnum inde ſentiat, *l. 21. ff. de aqva & aqvæ pluv. l. 26 l. 24. §. fin. ff. de damno inf. l. 9. de S. V. P.* & qvi ſuo jure utitur facit nemini injuriam

juriam *l. nullus ff. de R. J. add l. 2. ff. ſi qvi à parente manumiſſ. l. dudum C. de Contrab. emt.* Niſi conſvetudine aut ſtatuto aliud ſit interductum, vel certa ædificandi forma præſcripta, qvæ ab omnibus ſervari debet, cum ejusmodi ſtatuta in rem ſint concepta, & omni juris diſpoſitioni prævaleant, *l 11 princ. ff. de S U. P. l. 4. C. de ſervitut. l. 11. l. 12. §. 1. in init. C. de ædific. privat. Gail. lib. 2. ob. 69. n. 16* Aut niſi ex invidia & animo nocendi ædificare velimus, *l. 3. princ. ff. de oper. publ. Novell. 63. C. 1.* Aut niſi contra pristinam formam, hoc eſt, contra ſervitutem debitam ædificare velimus. *l. 1 § 11. ff de novi oper. nunc.* Conſtituta enim ſervitute, poteſt ne qvidqvam dominus facere, per qvod uſus ſervitutis impediatur *l. 13. § 1. ff. d S. P. R. l. ſi eo loco 9. in princ. ff. ſervitut. vind.* ſed potius omne id, ſine qvo ſervitute recte uti neqvit, præſtare tenetur, unde refectionis cauſa acceſſum ad eum locum qvi non ſervit, permittere debet, *l. 3. §. 13. ff. de itinere actuq. Meier. in colleg. argent tit. de ſervitut. n. 16.* Alias ſi, in ſervitute alteri non præjudicat poteſt libere ædificii formam mutare, rotunda in qvadrata committando, feneſtras obſcuras vel veteres reficiendo, illuſtrando, novas eo in muro, qvi forte per 100. annos ſine feneſtra ſtetit, parando, & anguſtas partes amplificando. *Cothman. Reſponſ. 93. n. 59. n. 59. & ſeqq. vol. 2.*

§ 38. Si vero qvid facit, per qvod ſervitutis uſus impeditur, poteſt alter aut propria autoritate illud obſtaculum removere, (licet enim incorporalis Juris defendendi cauſa vi vim repellere, *Schneidev. ad J. de ſervitut. n. 14. & 15.*) aut ſi opus nondum eſt perfectum, novum opus denunciare, (opere perfecto non datur nunciatio, ſed interdictum qvod vi aut clam. *l. 1. ff. de non oper. nunciat. l. 1. & tot. tit. ff qvod vi aut clam*) qvod tripliciter fieri poteſt, nimirum aut per lapilli jactum, (qvi ſpeciem qvandam violentæ prohibitionis habet) aut nudis verbis, (in hoc denunciationis genere ſit nuncians cautus, ut notarium cum teſtibus adhibeat, qvo nunciatio probari poſſit) aut per Prætorem. *l. 1. § 6. l. 5. §. 10. l. 16 ff. de novi oper. nunciat.* hoc tamen ultimo modo plerumq; fieri aſſolet. Nunciatione hac ſemel rite facta, tanti eſt momenti, ut ſtatim ædificans ab opere faciendo, tamdiu

ctu donec Judex deſuper cognovit, deſiſtere cogatur, ſive nunciatio fiat jure, ſive injuria. *l. 1. princ. l. 20. §. interdictum & §. ait prator. ff. eod. l. 1. §. parvi ff. qvod vi aut clam.* Si vero nunciatione ſpreta nec cauturæ conſtituta, ædificando pergit, tum per modum attentatorum *videatur Lancellot. de attent. p. 2. C. 20. limitat. 22. vol. 1.* Omne id, qvod poſt nunciationem factum eſt, propriis ſumtibus deſtruere & demoliri tenetur. *d. l. 20. §. interd. & §. ait Prator. & d. l. 1 §. parvi ff. qvod vi aut clam* nec admittitur prius ad litis conteſtationem *l. 1. §. 7. d. N. O. N. Fachineus lib. 8. c. 45. & 49. Jur. controverſ.* Hodie plerumq; mandata ſine clauſula demolitoria vel reſtitutoria & inſimul inhibitoria decernuntur. *Gail. lib. 1. ob. 16.* tenetur tamen nuncians de calumnia jurare, & Jus ſuum intra tres menſes à tempore nunciationis probare, *l. 5. §. 14 d. N. O. N. L. un. C. eod. Carpz. Reſp. 7. lib 1. tit 1.* Si vero nunciatus cautionem de opere de moliendo in caſum ſuccumbentiæ præſtat, debet inhibitio remitti, *l. 20. §. 5. L. 21. §. L. l. 8. §. 2. & 4 ff. d. N. O. N. l. unic. C. eod.* Niſi nuncians itidem offerat ſeſe probationem ſui juris intra 3. menſes facturum, qvo caſu alterius cautio non attenditur *Graven. lib. 1. pract. concl. 16. n. 17. 18. Pract. Ferar. in form. libell. de act. novi oper. verb. ante aliqvam. n. 3. Teſſaur. Deciſ. 204. n. 5.* Nec etiam eſt neceſſe ut nunciatio ipſi domino fiat ſed ſufficit ſi eo abſente ſervo aut operario, aut aliis qvi in re præſenti domini operisve nomine adſunt, & qvi dominum de ea certiorem reddere poſſunt, nuncietur, *l. 5. §. 1. & 3. ff. d. N. O. N.* qvi ſi domino nunciationem non indicarunt, teneatur ad intereſſe. *Ferarienſ. d. l. ad verb. novum opus n. 2.* Contra reficientem regulariter nunciatio non datur, hic enim nihil immutat, ſed ſolum remedium adhibet, niſi ædificium funditus evulſum aut collapſum reſtituat, & priorem formam mutet, *Oldendorp. Claſſ. 3 act. 7. in defenſ. Rei n. 67.* hoc enim modo de novo exſtrui dicitur *Klok de contribut. c. 10. n. 7*

§ 39. Similiter ſi æmulandi animo aut ad alterius invidiam in meo ædificare velim, prohibeor, *per l. 3. ff de oper. publ.* Et debet Magiſtratus reqviſitus huic malitiæ reſiſtere, eſt enim nefas immane hominem homini inſidiari, & humanæ ſocietatis

vin-

vinculum non permittit, ut alteri nocumento ſimus. *l. 3. ff. de J. & Jure l. 7. circa fin. ff. de ſerv. expor.* & poteſt qvis bene cogi ne alteri noceat, qvamvis non ut proſit, unde dicitur noceas nemini proſis cui velis. Non tamen ex incommodo vicini ſtatim invidia vel æmulatio præſumitur, aut probatur, ſed ſicuti qvilibet bonus eſt & præſumitur donec contrarium probetur, ita etiam nō ex invidia aut æmulandi animo ſed ſuæ utilitati ædificare præſumitur. *Gail. lib. 2. ob. 69. n. 59. Cothm. d. Reſp. 93. vol. 2.* n. 78. 91. qvod multo magis procedit, ſi qvodammodo de ædificantis utilitate apparet. *Alciatus de præſumt. regul. 3. præſumt. 23. l. nullus p. D. R. J. l. Proculus ff. de damno infect. Rauchbar. lib 1. qv. 27. n. 5. 6 Graven. concl. 69. lib. 2.* Unde æmulationem vel invidiam allegans tenetur eam probare ſufficiunt tamen præſumtiones & conjecturæ, modo ſint concludentes, *Maſcard. de probat. vol. 2. concl. 620. per tot.* multum tamen hac in re Judicis arbitrio tribuitur, qvi utriusq; tam commodum qvam incommodum perpendere debet, & ſi qvale qvale ædificantis commodum reperit, actorem repellere, eiq; cautionem de non amplius turbando aut impediendo imponere debet, *Honded. Conſ. 40. n. 34. & 35. vol. 1. Celſus Bangala de dolo. lib. 6. reg. 42. n. 7 & 8.* Si vero ædificans plane nullum commodum ſentit, præſumitur animus æmulandi, uti latius hoc deducit *Maſcard. d. concl. 621. vol. 2. de probat.*

§. 40. Dixi regulariter qvemlibet pro lubitu ſuo ædificare poſſe, modo ſtatutum vel conſvetudo, vel lex non obſtet, & certam formam præſcribat qvam ſervare tenetur. Legimus autem *in l. cum talis 14. §. fin. C. de ſervitut. & aqva. cautum.* Nemini licere ſic ædificare vel alio modo facere, qvo ſol aut ventꝰ ad triturandum & ſiccandum frumentum neceſſarius a vicini area auferatur, & *l. fin. ff. fin. regund.* Qvod is qvi juxta regionem alterius murum exſtruere velit, unius, ſi domum, duorum pedum ſpatium relinqvere debeat. Verum leges haſce hodierna conſvetudine tam ſtricte non obſervari docet qvotidiana experientia. qvæ ædes in civitatibus, & in omnibus ferè pagis contiguas monſtrat *d. vero l. fin. C. de de ſervitut. & aqva.* tantum de iis prædiis, qvæ ſuo proprio ambitu conſtant, vel de prediis ruſticis, ut horreis & ſtabulis &c. intelligi, non vero de urbanis prædiis,

tradunt poſt Aretin. add. l. fin. verb. domum & l. maniana C. de ædific. privat. Honded Conſ. 81. n 20. & ſeqq. vol. 1. & Cothman. vol. 2. Reſponſ. 43. n. 85. & mult. ſeqq Interim tamen aliæ qvædam ſimiles leges obſervari & adhuc videmus, furnum enim ſeu fornacem tam prope ad vicini murum ponere non licet, ut paries ex flama vel igne damnum aliqvod pati poſſit, ſed debet ad minimum unius pedis ſpatium vel interſtitiũ relinqvi *Capolla de S V. P. C. 51.* ne ſcil. paries exuratur aut torreatur, aut ne fumum vicinĕ ædes immittatur, qvod citra ſervitutẽ nõ licet, *l. ſicut. 8. §. 5. ff. ſi ſerv. vind. Capo. d. tr. c 53.* ſimiliter ſterculiniũ in ſuo nemo facere poteſt ita, ut parietem vicini tangat, *l. ſi quando ff ſi ſervit. vindic. l. ſiſtulam in pr. d. S. V. P.* Ita etiam ſi qvis foveam fodit, tantum ſpatii à fundo alieno relinqvere debet, qvantum profunditatis habet, *text. l. ff. fin. reg.* Et qvamvis idem etiam de cellis dicendum, von Kellern/ tamen videmus, hodie ſeſe qvam plurimum attingere, fodiens itaq; bene advertere debet, ne vicini domum nimis prope fodiendo labefactet, alias damnum datum reſtituere debet, *l. 24. §. ult. in fin ff. damni infect. Capolla d. tr. C. 45.* Notandum hic etiam, ſi qvis foveam vel cellam in publico vel platea habet, qvod eam ferro munire debeat, ne qvis præteriens in illam incidere poſſit, alias tenetur de damno, *l. qui foveas ff. ad L. Aqvil.* Cloacam qvoq; in ſuo pariete qvilibet facere poteſt, verum non tam prope ut vicini paries inde madeficit, vel damnificetur, aut ut colluvies per illum parietem in vicini aream fluat, hinc ſpecialiter in Saxon. Jure ſancitum legimus. Daß Ofen / Gänge / Cloaken / und Schweinſtälle / von eines andren Mannes Wand drey Schue brett abſtehen ſollen / und ſoll ein jedweder ſeine Feuermaure wohl bewahren / damit nicht die Funcken in eines andern Mannes Hoff fahren / und ihn ſchaden / es ſoll auch ein jedweder ſeine Heimlichkeiten die gegen eines andren Mannes Hoffe ſtehen / biß an die Erde bewircken. Weichbild *art 123, 124.* Sachſenſpigel. *lib. 2. art 51.*

§. 41. Ædificii contrarium eſt diſſolutio vel deſtructio. Cum ex ædificiis recte compoſitis Reipubl. non parum decoris & laudis accedat uti ſuperius demonſtratum, ideoq; debet Magiſtratus advertere, ne ædificia derelinqvantur ſed ubi domus

qvæ-

qvædam ruinoſa eſt, debet poſſeſſorem compellere, uſqꝫ eam reficiat, qvod ſi poſeſſor facere negligit poteſt aut Magiſtratus ipſe domum reficere, & ſi intra certum tempus ſumtus vel impenſæ non refunduntur domum vendere, aut poſſeſſorem cogere, ut domum vendat potentiori qvi eam reficere poteſt aut tantum pecuniæ, qvantum ad refectionem reqviritur, è publico ſubminiſtrare, ne urbs ruinis deformetur *l. 46. ff. d. damno infecto. in fin. Hippolit. de Marſil. ſingul. 470.* non vero per mittendum ut deponatur propter ruinæ metum, qvæ plerumqꝫ collapſa ædificia inſeqvi ſolet, aut propter deformitatem, malumve aſpectum, *tot. tit C. de ædific. privat. ibiqꝫ Peretz.* Et prohibemur non ſolum ædificia in totum deponere, ſed etiam iis qvicqvam per qvod deterioretur, aut alienandi animo, aut ad rura transferendi, detrahere. Sed ubi hoc fecerimus, accedit res ita ornata fiſco, *l. 2. l. 6. l. 7. C. de ædific. privat. addi l. 41. §. 1. 4 5. & 15. de legat 1.* Imo ædificia ob debita publica (qvæ alias maxime favorabilia ſunt) ut ſunt vectigalia & tributa deſtrui non debent, nec iis qvidqvam, utputa tegulæ feneſtræ, oſtia & ſimilia detrahi debet, *d. l. 41. §. 7. ibiqꝫ Gothofred. lit. K. ff. de legat. 1.* Et qvod ejusmodi conſvetudo qvæ in multis civitatibus viget, ut publicis debitoribus oſtia vel ſimiles domus partes auferantur ſit prava inrationabilis & plane deridenda, tradit pluribus *Raphael Cumanus ad d. l. 4. ff. de Legat. 1.* Sunt tamen nihilominus caſus qvidam ob qvos ædificia dirui poſſunt, ſi ſcil. publica id poſtulat utilitas, æſtimatio tamen tum præſtari debet, *l. 9. C. de oper. publ.* aut ſi illicite & contra commodum & ornatum Reipubl. ſint facta etiam non obſtante præſcriptione, *l. 6. l. 14 17. C. eod. l. 11. §. 14. ff. de legat. 3.* aut ſi per ea publicus uſus impediretur, v. g. plateæ illis anguſtantur aut XV. pedum ſpatium non fuit relictum ab opere publ *L. 9. C. d. ædif. fin. l. 6. 14. C. & oper. publ. l. 9. §. 4. ff. de R. D.* Ita etiam ex neceſſitate publicæ ſalutis ſervandæ cauſa ut tempore belli & incendii, tunc tamen æſtimatio ſecundum L. Rhodiam refundi debet, *arg. l. 1. l. 2. in fin. ff. J. Lege Rhod. de jactu. l. 49. §. 1. ad L. Aqvil. l 3. §. 7. Incend. ruin naufr. Gail. lib. 2. ob 12. n. 4. Modeſt. Piſtor Conf. 16. per tot.* Similiter ſi contra ſervitutem facta ſunt, deſtrui debet. *l. 5. & 9. C. de ſervitut.*

E 2 §. 82.

§. 42. Ædificiorum Acceſſoria ſint 1. Jus epidimeticorum & metatorum. (hoc eſt Jus inhoſpitandi & recipiendi milites Einqvartirunge / metata dicutur hoſpitia qvæ militibus provinciales præſtant, Qvartier *Gothofr. in l. 26. C. de Epiſcop. audient.*) qvod onus ratione fumantium imponitur. *Klok. de Contribut. C. 2. n. 20. Haſſ. ad Weſenb. tit. de Conſ. n. 4.* Num autem conductor wegen der Einqvartirunge de penſione qvid detrahere, poſſit, non conveniunt Dd. Nobis æqviſſimum videtur ſi hujusmodi ſumtus (hodie enim in hoſpitationes plerumq; unà cum cibariis militum & æqvorum indicuntur) inter locatorem & conductorem dividuntur. *Videatur Dn. Mevius tract.* rechtlich Bedencken wegen der Penſionarien und Grundherren. *c. 4 n. 409.* 2. Collecta ſive contributiones, qvæ regulariter domus contemplatione imponuntur, non qvidem ſecundum domus valorem, ſed pro qvantitate fructuum, wie hoch man das Hauß genieſſen könne *Hahn. ap. Weſenb. tit. locat. conduct. n. 16.* ſi enim ſecundum valorem imponerentur & Dominus ex illa domo forſan nullos aut plane minimos proventus acciperet, ſeqveretur, qvod hoc modo collecta imponeretur lapidibus & tigno, qvod iniqviſſimum eſſet, *Carpz. lib. 4. tit. 10. Reſp. 72.* Notandum etiam qvod is cui cenſus ſolvitur Dominus territorii præſumatur. *l. 4. §. 2. ff. de cenſib.* & qvod re illa, ob qvam ſolvitur, perempta, cenſus qvoq; expiret, per rei enim interitum, omne jus qvod ex eo fluit, perit. *l. 1. C. de Jure emphytor. Bocat. de interd. uti poſſidet. c. 18. de cenſibus 126.*

§. 43. Accedit ædificio etiam hypotheca, cum privilegio, eaq; eſt vel tacita vel expreſſa, Tacita eſt qvando qvis ad domus reparationem aut refectionem pecuniam mutuo dat, *l. 5. ff. qvi potior. in pignor.* reqviritur tamen 1. ut ſpecialiter ad refectionem detur, nec ſufficit pecuniam eo eſſe verſam, niſi etiam eo ſit mutuo data, *Gail. lib. 2. obſ. 35 n. 8.* 2 reqviritur ut pecunia in nullum alium uſum vertatur, *Zaſ. in log. 15. de rebus creditis n. 6. verſ. alterum qvod.* 3. Ut domus adhuc extet, *Gail. lib. 2. obſ. 12. n. 4.* & 4. ut ſumma operi reſpondeat, pro eo enim qvod excedit privilegium non competit. *Myſinger. cent. 1. obſ. 60.* qvæ omnia

etiam

etiam creditor probare tenetur, prius qvidem probatur, per inſtrumentum obligationis, cui hoc inſertum, alterum per conjecturas, ſi nimirum mutui tempore domus ruinoſa erat, poſtea autem reparetur, tum præſumitur ex ea pecunia reparata, qvæ ſpecialiter ad id mutuo eſt accepta. *arg. l. 7. ff. de Exercit. actione. Koppen. Deciſ. 28. n. 25. Ferar. pract. in forma libelli ſuper hypothec verb. ſub eadem obligat. n. 10. verſ ſufficit tamen.* Expreſſe acqviritur, qvando partes ita conveniunt, ut domus hæc vel illa ſit obligata, ejusmodi hypotheca ſemel ritè conſtituta afficit qvaslibet domus partes, ita ut ſi forte comburatur, ea adhuc in cæmentis & ruderibus, & area duret, etiam in eo qvod poſtea areæ imponitur. *l. 21. ff. de pignorat. act. l. 29. §. 2. ff. de pignor. Carpz. deciſ. 12. per tot.* Seqvitur hypotheca non ſolum domum ipſam, ſed etiam illata in domum, exemplum præbet conductor. *§. 7. J. de action. l. 4. ff. in qvibus cauſis pignus. vel hypoth. l. 5. C. de locato cond.* & poteſt locator res illatas includere & retinere pro penſione & damno dato. *addatur Coler. de proceſs. execut. p. 1. c. 2. n. 240. Berlich p. 2. Deciſ. 251.* Hoc retentionis jus competit etiam cauponi pro hoſpitatione, & pro unius alteriusve prandii pretio, *Coler. de proceſs. execut. p. 1. c. 2. n. 249. Carpzov. pr. Conſtit. 25. def. 31.*

§. 44. Accedunt Domui fructus Civiles, ſeu penſio ex locato conducto, de qva notandum, quod locator conductorem ob neceſſitatem noviter contingentem, *Anton. Faber in C. lib. 4. def. 51. n. 3.* anteqvam conductionis tempus finitum expellere poſſit, *l. 3. C. locat. Cond.* nam in qvocunqve caſu neceſſitas excepta videtur, & ob eam licitum eſt qvod alias non admitteretur: *l. alienationes ff. famil. herciſc. Hond. Conſ. 18. n. 6. vol. 1.* eamq; vim habet, ut non ſolùm civile jus vincat, ſed etiam canones ſubjiciunt ſe ei, *C. nemo de R. J. in 6. non minus verb. niſi Epiſc. X. de immutat. Eccleſ.* Debet tamen ejusmodi necesſitas probari, nec locatoris juramento ſtandum, *arg. l. 17. in fine ff. de Judic.* cum periculoſum ſit, qvem in propria cauſa judicem conſtituere *Carpz. p. 2. Deciſ. 137.* Non tamen procedit ſi huic beneficio locator renunciavit, *Sichard. ad d. l. ædes. C. locat. Cond.* hominis

36

enim proviſio legis proviſionem tollit, *l. ult. C. de pact. convent. l. maritus 21. C. de procurat.* aut ſi integram penſionem totius temporis ab initio recepit, per hanc receptionem tacitam renunciationem induci tradit *Ferarienſ. in form. libelli locat. cond. verb. inveſtivit. num. 7.* Num autem locator teneatur conductori ad damni reſtitutionem, ſi ei ſorte qvid ex camera locata fuit ablatum, *decidit Berlich. p. 2. Deciſ. 202.* ubi tandem concludit, qvod tum teneatur, ſi non totam domum, ſed ſolummodo unum vel alterum conclave, ſub una contignatione val clauſura contentum, & ad qvod non niſi per locatoris domum aditus patet, locaverit, & ſi aliqvalis locatori s culpa accedat, Domo legata omnia contigua & cohærentia, ſimul legata cenſentur, etiam hortus, dummodo ſit conjunctus & contiguus, & per domum legatam aditûs ad eum pateat, & una cum domo, & eodem pretio ſit emtus, *l. prædiis. 91. §. 5. ff. de legat. 3. Menoch. de præſumt. lib. 4. præſumt. 129. num. 19. plene Berlich. p. 2. Deciſ. 291. per tot.*

§. 45. Ex domo oriuntur variæ præſumtiones, 1. eſt, qvod is qvi ſciens domum ad delinqvendum præbet, in delictum conſentire videatur, unde & eadem pœna, qva ipſe delinqvens, puniendus. *l. 1. ff. de receptator. l. 1. C. de his qvi latrones. l. 8. l. 9. l. 10. ff. de adulter. l. 2. C. de aliator.* 2. ſi domus retinoſa reficitur, præſumitur ex ea pecunia, qvæ eo mutuo eſt accepta refectio facta, per dicta ſuperius. 3. In ædificiorum exſtructione, ſemper præſumitur utilitas facientis, non verǫ invidia aut æmulatio. *Menoch. de Arbitr. Jud. c. 156. & de præſumt. lib. 6. præſumt. 29. n. 28.* 4. Præſumitur incendium inhabitantium culpa oriri. *l. 3. §. 1. ff. de offic. præfect. vig. Gail. lib. 2. obſ. 21. per tot. Carpz. p. 1. qvæſt. 39. n. 58. prax. Crim.* 5. Qvando conſtat qvem eſſe natum in domo qvam uxor & maritus inhabitant, tum præſumitur filium eſſe, natum ex illo marito. *l. filium 6. ff. de his qvi ſui vel alieni. l. 9. C. de nupt. add. l. qvia ſemper ff. de in jus voc.* Et hoc usq; adeo verum eſt, ut etiamſi mater notorie conſvevit cum alio concumbere, tamen prǫ filio, qvod ſit legitimus, & ſolummodo ex eo qvem nuptiæ demonſtrant, & qvi cum uxore domum inhabita-

habitavit, natus, præſumitur. *l. miles §. qua propter ff. ad L. Jul. de adult.* potius enim honeſtum qvem inhoneſtum præſumi debet, & favor partus eſt maximus. Imo etiamſi mater ipſa, in ultimo articulo vitæ conſtituta, filium ſpurium vel adulterum diceret, tamen per id filiationis præſumtio non tolli nec matri propriam turpitudinem allegandi credendum eſſe volunt communiter. *Menoch. de arbitr. Jud. c. 89. & de præſumt. lib. 6. præſumt. 53. Gail. lib. 2. obſ. 97. Gilhauſ. arbor. Judic. c. 9. §. 274. ſeqq.*

§ 46. Oritur præſumtio affectionis, eamq; ob cauſam repelluntur domeſtici à teſtimonio dicendo pro ſe invicem, *C. in literis 24. X. de teſt. l. 3. C. de teſt. l. pen. ff. eod.* Niſi ejusmodi caſus ſit, qvi domi fit, & ſecrete, & qvem non niſi domeſtici ſcire poſſunt. *l. 8. §. 6. C. de repud. Carpzov. proceſſ. Jur. tit. 13. art. 6. num. 34. & ſeqq.* 7. Præſumitur, qvod domeſtici ſciant facta domeſticorum. *l. 9. C. ad L. Cornel. de Sicar. l. 32. ff. de adult. Farinac. prax. Crim. qv. 51. n. 102.* 8. Per ſolam domus inhabitationem præſumitur nemo ſubditus, nec domicilinm conſtitutum, *l. 17. §. 23. ff. ad nuncup.* circumſtantiis vero qvibusdam accedentibus præſumitur domicilii conſtitutio, utpote, ſi qvis majorem ſuorum bonorum partem eam in civitatem, in qva habitat, confert, aut alias ſedem ſuam & reſidentiam ubi vocatur, ibidem ita figit, ut non niſi qvid avocet, inde recedat, *l. 2. verb. aut majorem. C. ubi ſenatus vel Clariſſ. Coler. de proceſſ. execut. p. 2. c. 1. n. 32. & 35.* aut ſi civitatis jus impetravit, aut ſi per longum tempus in loco qvodam commoretur, unde dicetur *in l. 2. C. de incolis.* qvod ſtudioſus poſt decennium effluxum præſumatur in loco ſtudiorum domicilium conſtituiſſe, non autem ſtudiorum cauſa ulterius ibidem commorari, attento qvod Imperator qvinqvennium ſolum ad conſumandum ſtudium præſcripſit, eliditur tamen hæc præſumtio per aliam. *Coler. dict. loco.* Hæc præſumtio plane non procedit in iis, qvi officii ratione qvodam in loco ſunt vel degunt, *Zanger. de except. p. 1. c. 1. n. 53. n. 70.* Forum tamen habitans eo in loco ubi degit ſortitur, ſunt enim diverſa, forum ſortiri & ſubditum eſſe, *Gail. de pignorat. C. 15. n. 36. Richter. p. 1.*

Conſ.

Conſ. 47. 9. Domo vendita omnia ea qvæ firmiter domui inhærent, Was Erd/ Niedt- und Nagelfeſte iſt/ vendita cenſentur ſunt enim pars domus. *Struv. Exerc. 23. §. 15. Carpz. p. 2 Conſt. 33. def. 20.* qvæ vero domui non inhærent, non etiam vendita cenſentur. ex regula contrariorum. Excepto horologio & prothyro. *text. l. 12. §. 23. ff. ne inſtructo vel inſtrumento legato.* 10. Is cui cenſus ex domo ſolvuntur, Dominus præſumitur *per dicta ſuper §. 42.*

Et hæc ſunt qvæ pro tempore & brevitatis ſtudio de hac ampla materia proferre libuit, concedo eqvidem materiam hanc dignam eſſe, ut plenius & ſolidius pertractetur. Verum cum integer tractatus deſuper conſcribi poſſit, & in diſputationibus optimum ſit, brevitati ſtudere, nec ſpectandum ; num multa ſed multum ſit dictum, & alias prolixitas ſit ingrata, per ea qvæ tradit *Carpzov. P. 1. C. 1. Def. 19.* de Advocatis. Ideoqve ſpero benevolum Lectorem contentum, ſaltim hæc pauca me delibaſſe, DEO AUTEM TER OPTIMO TER MAXIMO IMMORTALES AGO GRATIAS, CUI SOLI SIT LAUS ET GLORIA PER OMNIA SECULA.